

DISPUTATIO LITERARIA
DE
HIERONE HIEROCLIS FILIO SYRACUSANO,

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

JACOBI CORNELII BROERS,
MED. CHIR. ET ART. OBST. DOCT., MED. PROF. ORDIN.,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE
ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN DISCIPLINA PHILOSOPHIAE THEORETICAE
ET LITERARUM HUMANIORUM,

HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

DEFENDET

JACOBUS CORNELIUS HENRICUS DE GAAY FORTMAN,
LUGDUNO — BATAVUS.

AD DIEM 22 JANUARII MDCCCXXXV, HORA 1—2.

ZWOLLAE,
APUD M. BRINKMAN DE VRI.
MDCCCXXXV.

DISPUTATIO LITERARIA

DE

HIERONE HIEROCLIS FILIO SYRACUSANO.

PRAECEPTORIBUS

S.

DISPUTATIO

DE

HIERONE HIEROCLIS FILIO SYRACUSANO.

PRAEFATIO.

Antequam de Hierone Hieroclis filio exponere aggredior, nonnulla mihi esse videntur dicenda de auctoribus, quos in componendo hoc libello secutus sum: atque hic primam habui rationem eorum, qui Hieroni fuere aequales, et Timaei, tum posteriorum. Ex antiquis, certe ex aequalibus neminem de vita Hieronis separatim scripsisse, ex Polybio, ni fallor, apparet. Hic enim in Reliquiis libri VII c. 7 reprehendens eos, qui de Hieronymo copiose, et res praeter veritatem amplificando, scripserant, et nniverse qui argumenta minoris pretii tractant, *ὅσῳ γὰρ ἄν τις εὐλογώτερον*, inquit, *καὶ περὶ ταῦτα τὸν ἀναπληροῦντα τὰς βίβλους καὶ τὸν ἐπιμετροῦντα λόγον τῆς διηγήσεως εἰς Ἱέρωνα καὶ Γέλωνα διάγοιτο, παρεὶς Ἱερώνυμον. καὶ γὰρ τοῖς φιληκόοις ἡδίων οὗτος, καὶ τοῖς φιλομαθοῦσι τῷ παντὶ χρησιμώτερος.* Singulatim antem de vita Hieronymi scriptum esse constat ex Athe-

naeo *lib.* vi p. 251 E, ubi citatur Κάτων ὁ Σινωπεὺς ἐν τῷ περὶ τῆς τοῦ Ἱερωνύμου τυραννίδος, narrans quaedam de Thrasone Hieronymi adulatore, quem a tyranno interfectum esse, etiam Livius refert lib. xxiv. c. 5. Apud Athenaeum vero pro Κάτων legendum esse Βάτων Casaub. probat in not. ad l. l. De aetate hujus Batonis praeter *Voss. de Hist. Graec. p.* 410, *et Schoell Gesch. der Griech. Lit. Th.* II, p. 125; *J. F. Ebert Dissert. Sic.. tom.* 2. p. 95, putans eum vixisse versus finem seculi a. Chr. III.

Multos tamen inter illius aetatis Scriptores exstitisse puto, qui res Hieronis aliorum rebus immixtas attigerint, cum ob gloriam illius imperii, tum in primis ob partes, quas in celebratissimo illo obtinnit bello, quo Romani primum fines a mari sibi positos, superaverunt. Aequales illi omnes deperditi, sed eorum vestigia interdum reperimus apud posterioris aevi scriptores, vel non obscure ostendentes, vel diserte citantes, ex quibus sua hauserint.

Primus fortasse scriptor, qui de Hierone aliquid memoriae prodidit, Timaeus fuit. Hic enim postquam e Sicilia pulsus erat Athenis vivens, historiae scribendae operam dedit, *Plut. de Exsil. c.* 14, *Polyb. lib.* xiii *c.* 28: idque ad summam usque senectutem faciens, historiam suam produxit ad Olymp. 128, quod diserte docet *Polyb. lib.* 2. *c.* 5, dicens initium suam historiam ducere ab Olymp. 129, atque adeo excipere ea, in quibus Timaeus substiterat. cf. *Heeren Comment. de Trogi Pomp. ejusque Epitomatoris Just. Fontib.* in *Comment. Societ. Reg. Scient. Götting. vol.* XV *p.* 185 *seqq. et Göller de situ et origine Syracus. p.* 181, et quos citat.

In extremis igitur Timaeus tractaverat Bellum Pyrrhi

contra Carthaginienses, et res post ejus discessum in Sicilia gestas, usque ad transitum Romanorum, atque adeo desiit in imperio ab Hierone occupato. Quum in plurimis differret Hiero ab Agathocle, adversus quem acerrimum odium Timaeus gerebat, deinde propter otium internarum discordiarum, quod Syracusis constituebat recens imperator, etiam propter amicitiam, quae Hieronem inter et Tauromenium, Timaei patriam fuit, divinare licet, hunc historicum erga Hieronem haud iniquo animo affectum fuisse. Sed ejus sententiam de Hierone scriptis servatam esse credo.

Trogus Pompejus, qui in Siculorum rebus enarrandis copiosus fuit, ubi a Theopompo duce destituebatur, Timaeum praecipue secutus est, Heeren l. l. § 20: et quum pro consilio suo ulterius, quam quo Romani Siciliam bello tetigerunt, progredi ei opus non esset, eodem loco quo Timaeus, narrationem suam de Sicilia finivit. Haec autem Epitomator ejus non omisit; sed illa, quae de Hierone apud Trogum legebantur, ab Justino contracta, complent hujus *historiarum Philippicarum libri* XXIII *caput quartum.* Hinc jam verosimile est ista ex Timaeo fluxisse: sed praeterea non pauca sunt in ipsa, licet brevi, hac narratione, quae Timaei ingenium produnt. Nam plures in isto capite nugae et fabulae reperiuntur; cujusmodi narratiunculas Timaeum nimis studiose collegisse, testatur Polyb. lib, XII c. 24: *οὗτος γὰρ* (Timaeus) *ἐν μὲν ταῖς τῶν πέλας κατηγορίαις πολλὴν ἐπιφαίνει δεινότητα καὶ τόλμαν. ἐν δὲ ταῖς ἰδίαις ἀποφάσεσιν, ἐνυπνίων καὶ τεράτων καὶ μύθων ἀπιθάνων καὶ συλλήβδην δεισιδαιμονίας ἀγεννοῦς καὶ τερατείας γυναικώδους ἐστὶ πλήρης.* Quapropter etiam secundum Suidam Γραοσυλλέκτρια dictus est. Timaeo igitur debentur quae in Justino leguntur de matre Hie-

ronis ancilla, et de ominibus quae infanti et adolescenti acciderint.

Idem arguitur parum veritati studuisse in judicandis virorum clarorum ingenio et virtutibus, eosque vel invidia depressisse ut Agathoclem, vel praeter modum extulisse ut Timoleontem, quem μείζω ποιεῖ τῶν ἐπιφανεστάτων θεῶν, *Polyb.* lib. XII c. 23. Hoc laudandi studio ductus fortasse Timaeus scripserat, Hieronem a Gelone, antiquo Siciliae tyranno, ortum duxisse, quo minus talis ortus ex unius Justini auctoritate ei vindicandus esse videtur. Justinum autem parva diligentia et saepe nimis festinanter auctorem suum excerpsisse, arbitror, ita ut interdum sententiam Trogi minus recte expresserit, quod exemplis, si hoc ageretur, confirmari posset. Huic negligentiae et festinationi inter alia debentur libri XXIII cap. 4., Hieronem *ducem* et *regem* electum fuisse *contra Carthaginienses*, et nomen patris vitiose scriptum Hieroclytum; ut Laudamiam Pyrrhi filiam appellat (*lib.* XXVIII c. 3.) quae Deidamia vocata fuit, et Damasconem (*lib.* XXII c. 1.) qui Damas, et passim.

Philini quoque Agrigentini quaedam servata sunt apud *Polyb. lib.* I c. 15, ubi simul de iis, atque de Fabio Pictore judicium fertur. Demetrius Callantianus testis citatur a Luciano de annorum numero, quos Hiero vixit. Qua de re quum Demetrius idoneus testis fuerit Luciano, fere putaretur aequalis Hieroni fuisse, et si de ejus aetate ceterum non constat, *Voss. de Hist. Graec. lib.* III p. 272.

Ex his igitur aliisque sua hauserunt posterioris aevi scriptores, qui de bello Punico, atque adeo de Hierone, memoriae prodiderunt: sed horum quoque maxima pars interiit. Servantur praeter breviores Epitomatores, Polybius et Livius nec tamen integri, Excerpta Dionis,

Zonaras; quibus accedunt fragmenta ampliora Diodori.

Polybius eamdem auctoritatem, quam in reliquis, meretur in iis, quae de Hierone scripta reliquit. Sed ejus non nisi tamquam in transitu meminit, ubi implicatus est rebus Romanorum. Has autem ante bellum Punicum tantum attigit, Polyb. *lib.* 1 c. 5. καὶ ῥητέον αὐτὴν τὴν τῆς διαβάσεως αἰτίαν ψιλῶς; neque primi belli Punici historiam scribere volebat, etsi βραχὺ ἐπιμελέστερον id tractaverit, *lib.* 1. c. 13: ita enim loquitur de rebus in *Introductione* (ἐν τῇ προκατασκευῇ) tractandis: l. l. οὐ γὰρ ἱστορεῖν ὑπὲρ αὐτῶν προτιθέμεθα, μνησθῆναι δὲ κεφαλαιωδῶς προαιρούμεθα, χάριν τῆς προκατασκευῆς τῶν μελλουσῶν ὑφ' ἡμῶν ἱστορεῖσθαι πράξεων. Pauca igitur de Hierone, sed exquisita, et unde satis appareat, quanti Regem fecerit. Ex eo potissimum ratio noscitur, qua Hiero ad summam potestatem pervenit. Quae narravit de trajectu Appii Cos. et de pugna ad Chalcidicem montem, infra exponemus. Porro hic illic ejus liberalitatis meminit. Res inde a Sagunto diruto effusius exposuit, sed cum reliquis fere periit locus, quo mortem Hieronis narravit in lib. VII, ubi plura fortasse de hoc Rege adjecerat. Diligebat ejus virtutes, et ubique summa cum laude de eo loquitur, ejusque vitam, tamquam dignam scribendi materiem, historicis commendat. Et si quis alius, Polybius, rerum civilium peritissimus, recte judicare poterat de Rege, qui prudentia libertatem et salutem suis servaverat; morum autem simplicitate, magnificentia in aliis rebus, et liberalium artium amore, antiquae Graecorum gloriae effigiem expresserat.

Plurima de Hierone debemus Fragmentis Diodori, qui, ut solet de aliis Siciliae Imperatoribus, ex animo

quem locum, pro consuetudine Diodorus multa de Hieronis ortu, aliisque rebus addidisse videtur, sed quorum nihil super est. Servatur autem ex hoc libro longum fragmentum, vel potius tria fragmenta, de Hieronis expeditionibus contra Mamertinos; in quo de Hierone, tamquam jam cognito, agitur. In ultima hujus fragmenti parte mentio exstat foederis, Hieronem inter et Carthaginienses facti, postquam hi quoque Messana ejecti erant. Id autem non factum est, nisi postquam Claudius Tribunus cum legione trajecerat, observandumque Olympiacos annos, quorum exitu Diodorus plerumque libros claudit, continere posteriorem partem anni a. Chr. qui exprimi solet, et priorem anni sequentis. Procurrit igitur hic liber usque ad bellum Punicum paratum, et ad tempus, quod proxime praecedit trajectionem Appii Consulis in Siciliam, i. e. usque ad Ol. $\frac{128}{4}$, a. Chr. 265, continuitque 15 annos.

Librum XXIII a bello Punico describendo incepisse, etiam Majus annotat ad *pag.* 48 *tom.* II. *Script. Vet. Nov. Coll.*, et apparet e fragmentis. Amplectebatur igitur prima hujus belli per 14 annos fata, pacem Hieronis et Romanorum, reliqua, usque ad consulatum Caecilii peractum, et ad pugnam, qua Hasdrubal ad Panormum fusus est, i. e. ad Ol. $\frac{132}{2}$, a. Chr. 251. Nimirum, ut modo observatum est pertinet Olympiadis annum usque ad aestatem anni Juliani sequentis, h. l. 250; nam pugna illa commissa est postquam novi Consules jam inaugurati erant, *Polyb. lib.* I. c. 39, 40.

Liber XXIV haec excipiens, initium duxit ab Ol. $\frac{132}{3}$, a, Chr. 250, a Consulatu C. Attilii Reguli II. et L. Manlii Vulsonis II, qui Consules coeperunt obsidere Lilybaeum. Desiit autem in annum, quo A. Manlius Torquatus et Lutatius Cerco pacem cum Carthaginiensibus

confirmaverunt, i. e. in Ol. $\frac{134}{4}$, a. Chr. 241, qui annus praecedit bellum a Mercenariis contra Poenos in Africa gestum. Amplexus igitur est spatium decem annorum.

Liber xxv fuit a rebellione Sociorum Carthaginiensium, Ol. $\frac{135}{1}$, a. Chr. 240, continuitque res per orbem terrarum gestas inde a finito bello Punico I, usque ad expugnatum ab Hannibale Saguntum, et ad annum qui proximus est ante expeditionem Hannibalis in Italiam, nempe Ol. $\frac{148}{2}$ a. Chr. 219; amplexus 22 annos.

Liber xxvi incipiebat a bello Punico II in Italia gesto: quo libro inter alia narrabantur mors Hieronis, regnum Hieronymi, et expugnatio Syracusarum.

Ex his igitur libris Diodori sunt fragmenta quae aliquid de Hierone exhibent: cujus generis nullum exstat inter illa fragmenta, quae nobis servata sunt e Collectaneis Constantini, quorum supersunt περὶ Πρεσβειῶν ab Orsino, περὶ Ἀρετῆς καὶ Κακίας a Valesio, et περὶ Γνωμῶν a Majo edita, sed inveniuntur inter ista fragmenta, quae nomine Eclogarum feruntur. Quae Eclogae ex libris 21, 22, 23, 24, 25, 26, in Italia repertae, editae sunt primum a D. Hoeschelio initio Saeculi XVII. Fortasse sunt a Siculo quodam viro, certe Italo, integrum Diodorum legente, exscripta; nam omnia fere ad res in ea insula gestas respiciunt, et desinunt post Syracusas a Marcello captas. Merito illa Wesselingius appellat *mire vitiosa.* Nunc ipsa verba Diodori continue, festinanter tamen et parva diligentia descripta, nunc eadem in epitomen redacta exhibent. Saepe sibi invicem annexa leguntur, quae in ipso opere longe a se distabant, saepissime verba Diodori vel mutilata vel omissa. Quod ita esse apparebit, si instituatur horum comparatio cum reliquis Diodori, et cum fragmentis,

quae servantur in Reliquiis Collectaneorum Constantini.

Eorum quae de Hierone agunt, seriem ducit Ecloga xv libri xxii. Initium mutilatum est *τῶν δὲ τὴν Μεσσήνην οἰκούντων Μαμερτίνων ηὐξημένων ..... πολλὰ μὲν φρούρια.... αὐτοὶ δὲ εὔζωνον ποιήσαντες τὴν δύναμιν, ἧκον ἐν τάχει βοηθήσαντες τῇ Μεσσηνίᾳ πολεμουμένῃ. Ὁ δὲ Ἱέρων, ἀπαλλαγεὶς* cet. Sensus facile ex Plutarcho et Polybio suppleri potest, quod fecit Casaub. ad Polyb.; de ipsis verbis desperandum, quum et ipse excerptor saepe verba immutaverit. In hisce significari primam Hieronis expeditionem, apparet ex mentione belli, circa Centuripam gesti in hoc fragmento, et in Polyb. lib. 1. c. 9. obvia. Ad primam illam pertinet haec Ecloga usque ad verba *τὴν δὲ τοῖς Ἀγυριναίοις ἐδωρήσατο*, hinc abrupta est; et quae deinceps leguntur separari debent, inter quae et superiora multa et de Hierone et de aliis rebus narraverat Diodorus. Ejusmodi conjunctionis eorum, quae situ distabant in integro Diodoro, exemplum inter alia est in *lib.* xxv. Ecl. v. *Μετὰ δὲ τὴν σφαγὴν Ἀσδρούβα τοῦ Καρχηδονίου, ἀναρχίας οὔσης, τὸν μείζονα υἱὸν Ἀμίλκα Ἀννίβαν στρατηγὸν ἐχειροτόνησαν. Ζακανθαίων δὲ ἡ πόλις πολιορκουμένη ὑπὸ Ἀννίβα συναγαγόντες τὰ ἱερὰ, καὶ τὸν χρυσὸν* cet.

Secunda hujus Eclogae parte novum fragmentum incipit, inde a verbis (*μετὰ δὲ ταῦτα*) *Ἱέρων ἔχων δύναμιν ἀξιόλογον*: in quibus verbis non obscure latent, quae Polybius narrat de novis conductitiis et de civibus armatis; continet autem luculentam narrationem pugnae, qua ad Longanum concisi sunt Mamertini, de dolo Hannibalis, de reditu Hieronis, quo loco fragmentum hoc abrumpitur. Quae sequuntur sunt ex ultima libri parte: *οἱ δὲ Καρχηδόνιοι καὶ Ἱέρων, ἀποπεπτωκότες*

τῆς Μεσσήνης, συνῆλθον εἰς σύλλογον cet. Cui loco autem haec verba congruant infra apparebit, ubi Polybium cum Zonarae narratione de Claudii Tribuni transitu conciliare conabimur.

Inter sequentis libri XXIII fragmenta legitur Ecloga III de clypeis Romanorum mutatis: ὅτι Ῥωμαῖοι πρῶτον ἀσπίδας τετραγώνους εἶχον εἰς τὸν πόλεμον cet. Copiosius et sanius eadem exstant inter Excerpta e Diodoro in Collectaneis Constantini, in titulo περὶ Γνωμῶν ap. *Maj. script. Vet. Nov. Col. tom. II. p.* 48. Majus igitur, et quia liber XXIII a bello Punico inceperit, et quia ejusdem fragmenti pars inter Eclogas libri XXIII recensetur, huic libro ea vindicavit. In iis narratur Carthaginienses post proelium navale, quo Claudius Tribunus a transitu erat repulsus (*Zonar. lib.* VIII c. 9), timentes magnitudinem belli, legatos misisse πρὸς τὸν Ὕπατον περὶ φιλίας. Ex seqq. apparet hanc eamdem fuisse legationem, qua naves ad Tribunum remissas fuisse legitur in *Zonara* l. l., cujus oratio continuo ore procedit; i. e. diu antequam Consul Rhegium pervenisset, et dum Messana adhuc in potestate esset Carthaginiensium. Dissentire igitur videntur. Sed suo loco non esse fragmentum Diodori inde probatur, quod in Ecloga superiori (*lib.* XXIII *Ecl.* II), legamus, Consulem, quasi omnibus conaretur pacem servare, legatos misisse, quam legationem inutilem fuisse partim ex Diodoro, partim ex Polybio apparet. Post haec igitur Diodorus non scripsisset: ὅτι Φοίνικες — εὐλαβούμενοι τὸ μέγεθος τοῦ προκειμένου πολέμου. Ex iis, quae supra disputavimus de rebus in ultima libri XXII parte tractatis sequitur, ad res in illo libro commemoratas hanc Carthaginiensium legationem pertinere. Quum nomen Claudii commune esset et Tribuno et Consuli,

pro hoc nomine facile irrepere potuerunt πρὸς τὸν Ὕπατον.

Seqnens fragmentum, Ecloga IV, ὅτι διαπεράσαντος τοῦ Ὑπάτου cet. manifesto est compendium eorum, quae Diodorus de rebus a Clandio Cos. in Sicilia gestis memoriae tradiderat: non sine labe, (nam *Aegestae* mentio huic loco uon cougruit) et festinanter descripta. Eodem modo argumenta tantum eorum quae Diodorus narraverat, memorantur in fine Ecl. VIII libri XXIII, ejusdem libri Ecl. IX, alibi.

Tertius quem ex iis, qui de Romanorum belli Pnnici tempore historia scripserunt, superstitem habemus, Zonaras est. Qnibns fontibus in Chrouico componendo per hujus helli tempora, usus sit, investigare non difficile est. Nam si confertur cum fragmentis Dionis, vel antea cognitis, in primis autem cum iis, quae a Majo in Capitolio sunt reperta, statim iutelligitur, Dionem Cassium a Zonara excerptum fuisse. Ex iisdem autem fragmentis, et e Zonara apparet, Dionem, etsi res usque ad tempora quibus Caesar imperium occupavit, uon nisi summatim describere voluerit, magna tamen cnm diligentia in initio Punici belli, et celeberrimo isto Romanornm transitu, versatnm fuisse, et interdum eum ex aliis fontibus, qnam Diodorum et Polybium, hansisse, ex. gr. de Messana a Mamertinis occupata. Hinc majori cnm fide in hnjns transitûs historia Zonaram snmus secuti, etiam ubi a Polybio dissentire videbatur, quandoquidem Polyhii consilinm non erat ut nimis curiose haec perseqneretnr.

Iu Pausania *Eliac. lib.* II c. 12 memoratu quaedam dignissima de nostro Hierone leguntnr. Ejns mores autem et reguandi rationem parum edoctus fuisse videtur, qnnm de eo loquatnr tamquam de tyranno, qni a

Dinomene, viro tyrannidi infestissimo, e vita sublatus fuerit, quod Hieronymo accidit, *Liv. lib.* XXIV c. 7. Eo minus haec dubia movere debent, quod Pausanias saepius in rebus Siciliae labitur. In Eliac. I c. 15 Pachynum promontorium appellat, quod Lilybaeum, in Eliac. II c. 9 in errore est de Gelone, celeberrimo Syracusarum rege.

De Romanis, quorum praeter Livium non nisi Epitomatores, Eutropius, Florus, Orosius, Victor, supersunt, non opus est separatim disputare: ad singula facta eorum verba examinabimus. Quod de Fabio Pictore antiquissimo historicorum Rom. queritur Polyb. *lib.* I c. 14, eum, nimio suorum studio ductum, a veritate interdum deduci, idem posteriorum commune fere vitium fuit. Livio quaedam memorabilia debemus de ultima Hieronis vita. Ubi copiosius de eo exposuerit, ad locum de pace cum Romanis *Epit. lib.* XVI, opus ejus periit. In Hieronis virtutibus laudandis a reliquis non discedit, de qua re infra, ubi sententia ejus de Gelone examinatur.

Ex poëtis, qui de Hierone cecinerunt, supersunt Theocritus et Archimelus. Inter Theocriti Idyllia decimum sextum elegantissimum carmen est in Hieronem, Χάριτες ἢ Ἱέρων inscriptum. Ex hoc Idyllio, quod non intelligebat ineptus scholiasta, effecit Theocritum, quum ab Hierone nihil accepisset, hoc carmen composuisse tamquam Satiram in illius avaritiam. Χάριτες igitur accepit *Gratiarum actionem*: male; nam intelligendae sunt *Deae Gratiae*, in hoc carmine pro ipsis *Musis*, immo pro suis *Idylliis* positae; cf. *Ahlwardt zur Erklärung der Idyllen Theocrits* pag. 164. Non opus est post Harlesium scholiastae errorem refutare; nec tamen Ahlwardtio assentiendum, dicenti, hoc carmen inscribi proprie debuisse *Hymnum in Gratias ad Hie-*

ronem. Revera Theocritus laudem Hieronis celebrare voluit; sed ad exemplum Pindari, aliorumque hujus generis poëtarum, a diverso argumento initium facit, ut inde inopinanter et majore cum vi in heroem se convertat *vs.* 72. Introductionis hujus argumentum non e longinquo petivit. Scilicet composuit hoc carmen non diu postquam ad summam potestatem pervenerat Hiero. Recenti igitur Imperatori suas Musas commendat, quibus eleganti modo subjungit avaritiae vituperia, et indicat quantum liberalitas virum decoret *vs.* 24: et quot fructus imprimis inde percipiant Principes, si erga poëtas liberales sint, *vs.* 29—57. Ipse talem invenit, qui cum priscis Heroibus aequiparandus erit. Congruit haec Heroum mentio singulari fortitudini et inusitatis viribus, quibus Hiero ad exemplum Pyrrhi Regis, excellere studebat, *Justin. lib.* XXIV c. 4.

Vulgo statuitur scriptum esse hoc carmen *tempore belli Punici, postquam Hiero jam foedus cum Romanis junxerat.* Sed huic tempori male convenit votum ut urbes prioribus civibus reddantur, quum Romani, Mamertinis confirmatis, Messinenses in perpetuum a sua urbe pepulissent, et Agrigentum crudelissime diruissent. Praeterea multa etiam heroica facta ab Hierone exspectat; est hic armatus tamquam ad bellum exiturus *vs.* 80, 81: sed statim post pacem cum Romanis conciliatam, quantum poterat a bello se suosque retinuit. Probabilius igitur videtur compositum esse, dum Hiero expeditionem parabat contra Mamertinos, forte postquam, mercenariis deletis, ipsos Syracusanos armaverat, *vs.* 78:

Ἤδη βαστάζουσι Συρακόσιοι μέσα δοῦρα.

Cujus expeditionis consilium erat, ut in suam urbem

restituerentur Messinenses. De Poenis loquitur ut argumentum amplificet, *os.* 76:

"Ηδη νῦν Φοίνικες, ὑπ' ἀελίῳ δύνοντι
Οἰκεῦντες Λιβύας ἄκρον σφυρὸν, ἐῤῥίγαντι.

Sciunt nimirum Heroem Syracusanum postquam Mamertinos pepulerit, non quieturum esse antequam se quoque ex omni insula ejecerit. Tunc Sicilia ab Hierone liberata, alma pace fruatur, et gloria Hieronis orbem terrarum impleat.

Alter est Archimelus Atheniensis Epigrammatum poëta, qui epigrammate illustravit navem illam Hieronis *Syracosiam* dictam, quod servatur apud Athenaeum *lib.* v. *p.* 209.

Praeterea apud alios scriptores nonnulla de Hierone inveniuntur, quae, ad fidem historicam exigi merentur.

In Plauto quatuor versus leguntur, qui magnam difficultatem Interpretibus pepererunt. Sunt autem in *Menaechmis*, *acta* II. *Scen.* III: Erotion alteri Menaechmorum respondet:

Non ego te novi Menaechmum, Moscho prognatum patre?
Qui Syracusis perhibere natus esse in Sicilia,
Ubi Rex Agathocles regnator fuit, et iterum Pinthia,
Tertium Liparo, qui in morte regnum Hieroni tradidit,
Nunc Hiero est."

Conjecturas Hermolai Barbari et Lambini, Operarii, Petiti, ipsa Latinitas repellit. Reineccius *Hist. Jul. tom.* II. p. 413 Seq.) ex his verbis historiam quamdam fingit, putans Pinthiam filium fuisse Agathoclis, Liparonem autem ejusdem ex Agatharcho nepotem: hic Liparo, Pinthia patruo trucidato, imperio Syracusarum potitus esset. Sed quae tacitis nominibus narrat

Justin. lib. xxiii c. 2, de hello inter filium et nepotem Agathoclis, Rege adhnc superstite, gesto, satis explicantur e Reliquiis *Diod. lib.* xxi Ecl. xii, nhi nomina nepotis Agatharchns et filii Agathocles leguntnr.

Burignius, cui hic locus non innotuit, nisi postquam historiam de Sicilia scripserat, putat, *Réflexions sur un passage de Plaute*, in *Académ. Royal. des Inscript. et B. L. tom.* xxxiv *p.* 95, Pinthiam et Liparonem imperinm obtinuisse postquam Pyrrhns abierat, iisqne Hieronem successisse. Recepit hanc sententiam *Sancto-crucius*, *Mém. sur les anciens Gouvernem. de la Sicile*, in *Académ. Royal. des Inscr. tom.* xlviii *p.* 137. Sed etiam haec sententia refutatur a scriptoribus: *Justin. lib.* xxiii c. 4. *Post profectionem a Sicilia Pyrrhi, magistratus Hiero creatur. Zon. lib.* viii *c.* 6. (Ἱέρων) *τῶν Συῤῥακοσίων κρατήσας, μετὰ τὴν τοῦ Πύῤῥου φυγήν.* Sed neque Reineccins neque de Burigny figmentis hisce efficiunt, qnod volunt. Nimirum putant successionem Regum Syracusanorum nimis notam fuisse Romanis, quam ut hac in re mentiri ansus fuisset Plautus. Sed manet illa successio aeqne corrupta, qunm Menon, Hicetas, Pyrrhus omittantur. Sive igitur faciamus cum Gronovio, qui pro *Pinthia* legi vult *Phintias*, Agrigenti tyrannns, (*Diod. lib.* xxii *Ecl.* ii, v.), et Liparonem in alia Siciliae parte regnasse putat: sive cum Eckhel *Doctr. Num. Vet. P.* I, *vol.* 1 *p.* 263, et cnm Camerario *ad l. c.* sentiente *haec, ut alia apud Plautum ἀνιστορήτως ex decore Personarum proferri de industria*, omnino sentiendum est, ad historiam haec nihil pertinere.

In *Plinii Hist. Nat. Lib.* xxxv c. 7. haec leguntur: *Dignatio [picturae] autem praecipue Romae increvit (ut existimo), a M. Valerio Messala, qui princeps tabulam picturae proelii, quo Carthaginienses et Hiero-*

nem in Sicilia deviceral, proposuit in latere Curiae Hostiliae anno ab U. C. *quadringentesimo nono.* Haec si vera essent, stare non possent quae infra dixi, Hieronem pacem fecisse cum Valerio Cos., antequam ad manus eorum milites venerant. Id tamen a reliquis auctoribus probari videtur, nec minus Valerium, cum Carthaginiensibus acie non pugnasse; cujus pugnae non obliti fuissent Zonar. Diodor. Eutrop. Polyb., quum res Valerii satis ample exponant. Addit autem Plinius *anno ab U. C.* 490. Hoc anno Appius, sequenti Valerius Consul fuit, quare Dodwell. *Chronolog. Graeco-Rom. pro Hypoth. Dion. Hal. ad annum U. C.* 490, hunc Plinii locum citans addit: *sed corrige* 491. Non corrigendus videtur, sed erroris arguendus Plinius, qui victoriam ab Appio Cos. a. U. C. 490 de Carthaginiensibus et de Hierone ad Messanam reportatam, confudit cum rebus a Valerio sequenti anno gestis. In eadem re lapsus est Seneca *de Brevit. vitae c.* 13, statim postquam Claudii Caudicis mentionem fecerat: *Valerius Corvinus primus Messanam vicit, et primus ex familia Valeriorum urbis captae in se translato nomine Messana appellatus est, paulatimque vulgo permutante litteras Messalla dictus est.* Quum igitur Messala appellatus esset Valerius, vera autem hujus nominis causa ignoraretur, vulgo putabatur Valerius cognomen accepisse ut Africanus, Numantinus, Achaicus, alii, ab urbe vel populo debellato. Quam opinionem Plinius et Seneca, in ejusmodi disputationibus de historia non cogitantes, inconsiderate scriptis mandaverunt.

Idem Plinius *op. l. Lib.* XVI *c.* 74, ubi de caedendis arboribus agitur *mirum*, inquit, *apud antiquos primo bello punico classem Duillii Imperatoris ab arbore excisa* 60 *die navigasse. Contra vero Hieronem regem*

ducentas viginti naves effectas diebus 45 tradit L. Piso. Classem hanc 220 navium conditam fuisse tribus mensibus, anctor est *Polyb. lib.* II *c.* 38, A. Atilio, Cn. Cornelio Coss., anno postquam amicitiae bumanitatisque egregia specimina Hiero dederat naufragis Romanornm, ad Camarinensem oram. Locus igitnr non uno vitio laborat, et, ut nnnc est, jure a Niebührio, *Röm. Gesch. tom.* III *p.* 661, vocatur obscnrissimus. *Contra* fortasse snmendnm est tamquam adverbium, ita continuationi inserviens, ut moneatur aliquid majus etiam seqni. Sed undenam in hisce Hieronis mentionem fecerit vel Piso, vel Plinius? Non contra verisimilitudinem est, si in hac classe aedificanda tantam opem Romanis tnlerit Hiero, navium constrnendarum studiosissimns, ut hujus rei in Commentariis meminerit Piso, et si in hunc sensum locus Plinii esset corrigendus.

In *Athenaeo lib.* VI *p.* 250, D. E. haec sunt: Ἡγήσανδρος δ' ἱστορεῖ καὶ Ἱέρωνα τὸν τύραννον ἀμβλύτερον κατὰ τὰς ὄψεις γενέσθαι, καὶ τοὺς συνδειπνοῦντας τῶν φίλων ἔχειν ἐπίτηδες διαμαρτάνοντας τῶν ἐδεσμάτων, ἵν' ἐπὰν χειραγωγῶνται, καὶ δοκεῖ τῶν ἄλλων ὀξυδερκέστερος εἶναι. Putavit aliquis haec de nostro Hierone dici. Praeter testimonia de hnjus moribus, succurrit refutationi locus *Polyb. lib.* VII *c.* 8: ἔτη μὲν ἐβίωσε πλείω τῶν ἐννενήκοντα, διεφύλαξε δὲ τὰς αἰσθήσεις ἁπάσας, διετήρησε δὲ πάντα καὶ τὰ μέλη τοῦ σώματος ἀβλαβῆ. Neque gravitati et severo ingenio prioris Hieronis haec congruere videntur, quare *Casaubon: ad l.* Hegesandrum Hieronis nomen cum Dionysio permutasse, jure suspicatur.

Tres scriptores sunt qui annotarunt, Hieronem scripsisse de Agricultura. *Plin. Hist. Nat. lib.* XVIII I. 5. *Igitur de cultura agri praecipere principale fuit, et apud exteros, si quidem et reges fuere Hiero, Phi-*

lometor Attalus, *Archelaus*, *et duces Xenophon* cet. Eodem fere modo *Varro de Re Rust. lib.* I *c.* I. Tertius *Columella lib.* I *c.* I. *Siculi quoque non mediocri cura negotium illud prosecuti sunt*, *Hieron et Epicharmus discipulus*, *Philometor et Attalus*. In his primus ponitur Hiero, tamqnam aetate remotior, neqne aliquid in reliquis ejus vitae exstat, quare illa de Hieroclis filio intelligenda esse videantur: sed potins de prisco Hierone, qui in primis affectabat disciplinae et eruditionis gloriam, et qni plurimos poëtas et sapientes secum habebat, inter qnos erat *Epicharmus Pythagorae discipulus*, ut sanandus forte est locns Columellae, cf. *Arist. de Rep. lib.* I *c.* II. Priscum Hieronem magnam operam in agricultura posuisse annotavit Wyttenb. *ad Plut. de Sera Num. Vind.* p. 27.

Scholiasta Theocriti, cnjus errores de Idyll. XVI supra animadvertimus, in argumenti dispositione ejusdem Idyllii, haec habet: *Τοῦτο δε εἰδύλλιον γέγραπται εἰς Ἱέρωνα τὸν Ἱεροκλέους, τὸν ἔσχατον Σικελίας τύραννον. Κατέσχε δὲ τὴν ἀρχὴν, στρατηγὸς ἀποδειχθεὶς ὑπὸ τῶν πολιτῶν, καὶ φθείρας τὰς δυνάμεις ὥστε τύραννον αὐτὸν ἀγορευθῆναι. Μετὰ δὲ τοῦτον ἦρξεν Ἱέρων ὁ Γέλωνος. Μηδὲν οὖν εἰληφώς* cet. Verba *μετὰ δὲ τοῦτον* cet. alius addiderit, ad corrigendum *τὸν ἔσχατον Σικ. τύρ.*, et legendum *Ἱερώνυμος*. Ceterum indoctus homo rem eodem modo exhibet, ac reliqnis fere tyrannis accidere solebat, nempe quasi Praetor a Civibus justa potestate constitutus, postea, corruptis militibus summam rerum vi et terrore occupavisset. Id autem singulare in Hierone fuisse, quod contra leges a militibns Praetor factus, a civibus ob virtutes in imperio constitueretur, infra videbimus.

Alins scholiasta in errorem nonnullos duxit figmentis

suis, de mortis genere Theocriti; scilicet ad *Ovid. Ibin vs.* 551, 552.

Utque syracosio praestricta fauce Poëtae.
Sic animae laqueo sit via clausa tuae:

vetus, qui dicitur interpres, annotavit: *id est, Theocrito Syracusio Poëtae, qui cum in Hieronis Tyrannifilium invectus esset, ab eo ideo est capijussus, ut eum ad supplicium trahi simularet. Interrogatus si deinceps a maledictis desineret, ille eo saevius etiam Regi ipsi maledicere coepit, quare indignatus non jam ad simulatum, sed ad certum supplicium rapi jussit: quidam laqueo strangulatum, quidam capite caesum prodidere.* Haec transcripsere Mirabella in *vita Theocriti*, Burignius in op. *Histoire de Siciles*, alii, licet ipsa narrandi ratio prodere videatur, hanc unam esse ex narratiunculis, quales multae de veteribus tyrannis circumferebantur. Prorsus repugnant ingenio moderatissimorum Principum, et Hieronis, et Gelonis; nec Hiero, bonae famae studiosissimus, talem inhumanitatis notam suae gloriae inussisset, ut celeberrimum illorum temporum poëtam propter iracundiam, et per libidinem vere tyrannicam, morti dedisset. Conveniunt igitur V. D., Theocritum in his versibus ab Ovidio non esse intellectum, vid. *Burmann. ad l.*

In Diodori fragmentis *libri* XXIII Ecl. XIV, de rebus gestis Carthalonis, Poenorum in Sicilia Praefecti, post naufragium Romanorum Camarinense, narratur eum Agrigentum expugnasse, et post urbem incendio deletam, et muros dirutos, cives superstites fugisse in *Olympium: οἱ δὲ καταλειφθέντες ἔφυγον εἰς τὸ Ὀλύμπιον.* Hoc Olympium nonnulli, ut *Stuart Rom. Geschied. B.* IV *H.* I, intelligunt vicum et templum, quod in vicinia erat Syracusarum, a *Thucyd. lib.* VI, c. 64 et saepe

Ὀλυμπίειον, a *Diodoro* autem Ὀλύμπιον, *lib.* XIII *c.* 6, plerumque vero τὸ Διὸς ἱερὸν vel νεὼς dictum, *ib. c.* 7, *lib.* XIV *c.* 62, 63, *Excerpt. Vit. et Virt. ex lib.* X: Cf. *Cluver. Sicil. Antiq. lib.* I *c.* XII. Quum tamen aliunde haec non confirmentur, neque ulla ratio exstet, quare in verbis Diodori de Olympio Syracusano cogitaretur, intelligi debet Olympium illud Agrigentinum, ob spatium et vastas dimensiones celeberrimum, de quo ipse Diodorus *lib.* XIII c. 82. Ἥ τε γὰρ τῶν ἱερῶν κατασκευὴ, καὶ μάλιστα ὁ τοῦ Διὸς νεὼς, ἐμφαίνει τὴν μεγαλοπρέπειαν τῶν τότε ἀνθρώπων κ. τ. λ. In hoc igitur templum nonnulli civium fugerant, quibus quid acciderit, narrabatur in integro Diodoro, sed in Ecloga desideratur: nam quae proxime sequuntur οἱ δὲ Ῥωμαῖοι ἕτερον στόλον κ. τ. λ novum fragmentum exordiuntur.

Polyaenus Strategem. lib. VI *c.* 16 *n.* 4, exponit strategema, quo Siculos in portu Messinensi circumvenerint Carthaginienses. Initium hoc modo se habet: Καρχηδόνιοι πολεμοῦντες Ἱέρωνι, νύκτωρ ἐπιπλεύσαντες Μεσσήνῃ, πλησίον τῆς πόλεως ὑπὸ Ἀκραγαντίνων καθωρμίσθησαν. ἐν τῷ λιμένι πολλαὶ τριήρεις, καὶ στρογγύλαι νῆες ὥρμουν ἐπὶ τοῦ στόματος. ἄλλαι παρεφύλασσον. Poenorum dux has bellicas naves dolo a custodia deducit, ita ut portum intrare possint Carthagenienses, et τὰς μὲν τριήρεις κενὰς οὔσας ἐνέπρησαν. τῶν δὲ ὁλκάδων τὰς πλείστας ἐξείλκυσαν.

Animadvertit Maasvicius longius abfuisse Agrigentum Messana, quam ut lectio Ἀκραγαντίνων sana esse possit, et legendum suspicatur ὑπὸ ἄκρας τινὸς, vel ὑπὸ ἄκρας Ἀργέννου, cujus nominis promontorium quoddam Messanae vicinum fuisse, docemur ex Ptolemaeo: sed haec obiter. Dicit Polyaenus bellum fuisse inter Hieronem et Carthaginienses, et hujus naves defendisse portum

Messanae, quod certe non accidit ante transgressum Romanorum, dnm urbs esset Mamertinorum, et bellnm gereret cum Hierone. Post ea vero Romanorum erat defendere Messanam, neqne hanc nrbem aggressi essent Poeni, quia *bellum gerebant cum Hierone.* Sunt in hoc Polyaeni XVI capite exposita quinqne Carthaginiensinm strategemata tria ex eorum bellis cnm Dionysio, quartnm hoc de Hierone; quintnm est, quo oppressere Cornelium ad Liparam. Hinc tamen non sequitnr, quartum illud accidisse ante Consulatum Cornelii et Duillii, nam temporum rationem saepe negligit Polyaenns. Messanam autem, postqnam Romani urbem occupaverant, classe a Poenis petitam esse, nusqnam memoratnr. Tempore belli Pnnici II Poeni infestarunt oras regni Hieronis, *Liv. lib.* XXII *c.* 56. Fieri potest ut tunc tale quid acciderit in portu Syracusano, et nomina Μεσσήνῃ et Ἀκραγαντίνων in hunc sensnm sint corrigenda. Vel nomen Hieronis vitiosnm est. Si legeretur Διονυσίῳ suspicari quis posset hoc strategemate usnm esse classis Praefectum, quem Himilco a Peloro promontorio ad circumveniendum Messinenses praemiserat. Cives enim ad Pelornm egressi erant impeditnm, ne in terram descenderent Carthaginienses; sed Himilco 200 naves Messanam mittens, urbem defensoribus vacnam deprehendit et cepit. Haec narrat Diod. *lib.* XIV *c.* 56 *seqq.*, sed parum cnm his conveniunt ultima verba Polyaeni, τῶν δὲ ὁλκάδων τὰς πλείστας ἐξείλκυσαν.

Recentiorum sententias, si opus est, ad singulos locos examinabimus; sed qnia saepe in hac Disputatione agitur de Syracusanorum dissidiis ex democratiae et oligarchiae studio ortis, quaedam dicenda sunt de Fr. W. Tittmanni sententia de Reipnblicae administrandae ratione, qua inde ab initio usa sit Syracnsarum civitas.

Tittmann in opere: *Darstellung der Griechischen Staatsverfassungen* pag. 502—509, ubi disserit de Syracusanae Reipnblicae forma, contendit democraticam rationem per omne tempns Syracnsis viguisse; qnapropter jure reprehenditur a K. O. Muller *die Dorier th.* II *p.* 157. De primis temporibus, i. e. usque ad Gelonem, error manifestus est. Tunc enim Demus sivi Plebs, constans ex varii generis hominibus, qui undiqne ad novam civitatem affluebant, nondum satis virinm habebat, quas Gamoris, agrorum ex sorte possessoribus, opponere potuissent: qui, simul ac sentiebant nnmernm plebis crescere, colonias mittebant, nnde explicandum videtur, quod Syracusae anno 150 postquam erant conditae, qnartam jam coloniam emisissent. Immo Plebeji, qunm post annum 240 a Syr. C. Gamoros ejicerent, id non perfecere, nisi postqnam Kyllyrios, i. e. servos ex antiquis Siciliae incolis, quos subegerant Gamori, sibi conjunxerant: *Her. l.* VII c. 155. Dicit Tittmannus, Aristotelem Reipublicae formam ante Gelonem diserte appellare Democratiam. Est locus in ejns *Politic. lib.* V *c.* 2. Agit Aristoteles de causis seditionnm, inter quas recenset contemtum, § 6. In democratia enim Nobiles, contemnentes rerum imperiiqne turbationem, seditionem movent. Propter hanc causam Tbebis democratia deleta est, item Megaris: *καὶ ἐν Συρακούσαις πρὸ τῆς Γέλωνος τυραννίδος.* Aperte intelligit breve illnd tempus ab expulsione Gamororum nsqne ad eorum reditnm, duce Gelone: Cf. *Excerpt. de Virt. et Vit. e Diod. lib.* x, de Hippocratis, Gelae tyranni, adversus Syracusas expeditione, per hoc temporis spatinm facta; ubi de Hippocrate, *νομίζων διαβάλλειν τοὺς προεστῶτας τῶν ἐν Συρακούσαις πραγμάτων πρὸς τὰ πλήθη* (*ex sententia multitudinis* vid. *Matth. Gramm. Gr.* p. 1182), *διὰ τὸ δοκεῖν αὐτοὺς πλεονεκτικῶς*,

ἀλλ' οὐ δημοτικῶς οὐδ' ἴσως ἄρχειν. Non major igitur Gelae tyrannus amicus Plebis fuisse videtur, ac successor ejus Gelo, qui putabat δῆμον εἶναι συνοίκημα ἀχαριτώτατον, *Her. l. l.*

Magni et celerrimi sub imperio Gelonis et Hieronis erant progressus humanitatis, atque post Thrasybulum ejectum moderatam Reip. administrandae formam constitutam fuisse, probant Aristoteles et Diodorus. Quo sensu tamen democratia illa appellanda sit, videamus. Nam sicut in ipsa re continuus erat progressus, ita nominis significatio pro illis progressibus strictius definiebatur. Contra vero eodem gradu notio vocis *oligarchiae* augebatur; ita ut postremo quaecumque Nobilium prae reliquis arrogantia hoc nomine significaretur: Cf. *Theophr. Charact.* XXVI.

Reipublicae igitur constitutio, qualis erat post Thrasybulum ejectum, illorum temporum hominibus democratia erat; eamdem tamen post Timoleontem non ferendam duxissent Graeci, quum his temporibus ad democratiae notionem pertinerent res, ut sortitio in constituendis magistratibus, legum temeraria, si ita plebi placeret, abrogatio, de quibus illi non cogitaverant. Confirmantur autem haec ab ipso Aristot. *Pol. lib.* IV *c.* 10 ἃς νῦν καλοῦμεν πολιτείας, οἱ πρότερον ἐκάλουν δημοκρατίαν. Hac igitur ratione Aristoteles Syracusanam civitatem inde a vindicata libertate usque ad bellum cum Atheniensibus (466—413 a. Chr.) appellat *Politiam*, *Pol. lib.* V *c.* 3 § 1. atque distinguit eam a vera democratia, *ib.* § 6. Philosophi tamen diligentiam in usu verborum non sequuntur reliqui, dicitque *Diod. lib.* XI *c.* 68, Syracusanos *democratiam* obtinuisse usque ad tyrannidem a Dionysio occupatam.

Non recte igitur fecit Tittmannus, cum hac in re ipsos Graecos, de suis rebus loquentes, deseruerit, ne-

que rei genera distinxerit, cf. p. 520. Eique non est assentiendum democratiam viguisse, ubicumque concio sive *βουλή* populo concedebatur, neque a Nobilioribus, ut Spartae, neque a Tyrannis, ut a Gelone, Dionysio, Agathocle, et a nostro Hierone, cf. *p.* 507.

Hisce quaedem subjungenda sunt de ratione temporum in rebus Hieronis constituenda.

Annus qno natus sit Hiero, qunm a nemine scriptorum memoretur, constitui debet ex annorum numero, quos vixerit. Illum autem numerum ultra annos nonaginta fuisse, universe indicant *Polyb.* in *Reliquiis lib.* VII *c.* 8. *ἔτη μὲν ἐβίωσε πλείω τῶν ἐννενήκοντα*, et Liv. *lib.* XXIV *c.* 5. *Non facile erat nonagesimum jam agenti annum* cet., cf. *Val. Max. lib.* VIII *c.* 13 *Ext.* 1. Illi pro consilio suo morientis aenis aetatem accuratius non definiunt. Contra vero Lucianus, in libro *de Longaevis* accuratam eorum, quorum meminit, aetatem apponens, *Ἱέρων*, inquit, *ὁ Συρακουσίων τύραννος δύο καὶ ἐννενήκοντα ἐτῶν γενόμενος ἐτελεύτα*, idque se in Demetrio Callantiano et aliis. legisse affirmat; quare, si cum reliquis, quae de Hieronis aetate citantur, conveniunt, statuendum est eum explevisse primum et nonagesimum annum. Mortuus autem est, ut infra demonatrabitur, T. Sempronio Graccho, Fabio Maximo Coss., anno urbis 538, ol. $\frac{141}{1}$, ante nostram aeram anno 215 post mensem Martium. Natus igitur est anno a. Chr. 307, memorabili in historia Syracusana, ob caedem filiorum Agathoclis in Africa, et ob poenas, quas a cognatis eorum, qui caedis participes fuerant, sumsit Agathocles: *Diod. lib.* XX *c.* 54—72.

Aetatis annum 18 agebat Hiero, quando mortuus est Agathocles a. Chr. 289, quo anno incepta sunt dissidia inter Menonem, res novas molientem, et Hicetam,

qui per novem annos summum imperium Syracusis gessit, *Diod. lib.* XXII Ecl. VI. i. e. ad annum fere 279, postquam a Carthagimensibus proelio ad Teriam victus erat. Thoenon autem et Sosistratus, qui eum pepulerant, inter se invicem dissidentes, Carthaginiensibus urbem obsidentibus, Pyrrbum arcessivere, qui in Siciliam trajecit post annum secundum mensem quartum, quam in Italiam venerat, *Diod. Lib.* XXII *Ecl.* XI *init.* Adventus antem ejus in Italiam in mensem Martium incidit anni a. Cbr. 280, vid. *Dodwell. Chronolog. pro hypothes. Dionys. Halic. ad annum* 280: igitur media aestate anni 278 Syracusas pervenit, Hierone aetatis annum agente undetrigesimum.

Tertio inde anno secundum *Appian. Lib.* III *Excerpt. Peiresc.* XII, nt Dodwell. veris tempore anni a Cbr. 275, i. e. ol. $\frac{126}{1}$, ex Sicilia est profectus, et Syracusas sine principe reliquit. Hinc usque ad summum magistratum ab Hierone initum, historia prorsus silet. Videamus num aliunde annus constitui possit, quo imperium Hiero capessiverit; quo constituto, primae res Hieronis, et abitus Pyrrhi facilius annectentur.

Universe *Polyb. lib.* I *c.* 8 χρόνοις οὐ πολλοῖς πρότερον quam Romani Rbeginm obsidebant: sed *Pausanias* ipsum annum citat. Ejus verba *Eliac.* II *c.* 12 de nostro Hierone: τὴν δὲ ἀρχὴν εἶχεν ἔτει δευτέρῳ τῆς Ὀλυμπιάδος ἐπὶ ταῖς εἴκοσι καὶ ἑκατὸν, ἣν Κυρηναῖος στάδιον ἐνίκησεν Ἰδαῖος. Excidisse numerum ante ἐπὶ ταῖς εἴκοσι apparet, sed quae sequuntur ἣν Κυρηναῖος cet. omnes reliquas conjecturas inutiles reddunt, et legendum esse indicant τῆς ϛ Ὀλυμπιάδος; nam Ol. 126 stadio victor fuit Idaeus Cyrenensis, ut docetur Eusebianis apud Scaligerum: cf. *Casaub. ad Polyb.* l. l. et *Krügeri animadv. ad Clintonis Fast. Hellen.* p. 281. Hic igitur annus, (quum res-

picere Pausaniae verba nequeant tempus, quo proprie βασιλεύς constitutus est Hiero), statuendus est primus imperii Hieronis. Lucianus autem l. l. est corrigendus vel erroris arguendus, scribens, ἐτελεύτα βασιλεύσας ἑβδομήκοντα ἔτη: nam si mortuus est anno a. chr. 215 et imperium potitus est 275, anni relinquuntur 60, per quos ἐβασίλευσε, quod verbum universe de imperio est accipiendum, ut solent in talibus Graeci: *Diod.* de Gelone *lib.* XI *c.* 38, Γέλων μὲν οὖν ἑπταετῆ χρόνον ἐβασίλευσεν, scilicet 3 annos regia dignitate, reliquos tamquam tyrannus, et sic passim. Septuaginta vero annos regnavisse Hiero non potuit ob Pyrrhum, et Hicetam.

Tunc autem annum alterum et tricesimum agebat Hiero, quem Polybius *Lib.* I c. 8 ad magistratum pervenisse dicit νέον μὲν ὄντα κομιδῇ· de qua locutione, illi aetati congruente, *Casaub ad l. l.*, ejusdem Polybii verba allegans e *Lib.* XVII *c.* 12. *fine* de Tito Flaminio: καί τοι καὶ νέος ἦν κομιδῇ, πλείω γὰρ τῶν τριάκοντα ἐτῶν οὐκ εἶχε. Non diu vero hoc accidisse post Pyrrhi recessum, innuunt Zonaras et Justinus locis supra p. 17 laudatis; nimirum ut nos annos computamus, aestate ejusdem anni 275, cujus vere abierat Pyrrhus, ut Graeci computant, anno Olympiadis 126 primo exacto, et inito secundo, quo milites ad Murgantium, Imperatoribus, qui justis comitiis in urbe erant creati, rejectis, ipsi Artemidorum et Hieronem Praetores constituerunt. Comitia autem Syracusis habebantur θέρους μεσοῦντος, *Plut. Dion. c.* 38.

Hinc ad annum a. Chr. 271, quo Romani expugnaverunt Rhegium, sunt 4 anni, quibus matrimonium contraxit Hiero, et aliis rebus imperium suum munivit. Hoc anno Rhegium expugnatum esse vulgo putatur, nimirum a L. Genucio Cos. Sed quum sequenti anno

item Genucius, Cajus praenomine, Consul fuerit, dubitari potest, quisnam hoc bellum administraverit. Niebühr *Röm. Gesch. Th.* III *p.* 633, a posteriore urbem captam esse contendit, afferens locum Livii *Lib.* XXVIII *c.* 28. *Rhegium quondam in praesidium missa legio, per decem annos tenuit:* — id vero in tali oratione aeque convenit anno 271 ac 270. Vulgata opinio melior videtur. Nam Romani suorum scelus punire aggressi sunt statim ut a reliquis curis erant liberi, *Polyb Lib.* 2 *c.* 7; id autem erat post Consulatum Papyrii Cursoris II et Corvilii Maximi II, exstincto Tarentino bello.

Eodem anno 271, aetatis 36, primum copias eduxisse contra Mamertinos, extra dubium ponit Polyb. *in. c.* 8. *ἐπεὶ δ᾽ἐστερήθησαν* [*Μαμερτῖνοι*] *τῆς προειρημένης ἐπικουρίας, συγκλεισθέντων τῶν τὸ 'Ρήγιον κατεχόντων εἰς τὴν πολιορκίαν, παρὰ πόδας ὑπὸ τῶν Συρακουσίων αὐτοὶ πάλιν συνεδιώχθησαν εἰς τὴν πόλιν.*

Secundo anno post, alteram in eosdem expeditionem fecit. Statim enim post reditum ex Messinensi agro Rex constitutus est, ex quo usque ad mortem sunt anni quatuor et quinquaginta: per tot autem annos illum Regem fuisse dicit *Polyb. lib.* VII *c.* 8, exscriptus a Suida *in v.* Redit igitur illa expeditio ad annum a. Chr. 269.

Hinc usque ad annum 264, quo fretum transiit Romanorum Consul, rerum Hieronis memoriam desideramus, ut infra annotabimus. Videtur tertia expeditio, qua Mamertini ad Romanos confugere coacti sunt, accidisse anno ante Belli Punici initium, i. e. a. Chr. 265.

Est enim communis et constans apud Romanos Graecosque scriptores traditio, Bellum Punicum incepisse Consulatu Appii Claudii, qui incidit in annum 264 a. Chr. Quum tamen bellum illud per 24 annos continuatum

fuisse ab uno alteroqne scriptnm sit; deinde, qnod a Dionys. Halic. belli initinm in antecedenti anno poni videatur, tum ob ea, qnae de transitu Claudii Tribuni antequam ipse Consul trajecerat, narrantnr a Zonara, Dodwell. *in op. l. not. annum* 265, dispntat bellum decretum esse anno praecedenti, i. e. 265.

Sed Polyb. *Lib.* I *c.* II, aperte dicit Clandio Consuli mandatum esse anxilia ferre Mamertinis et fretnm trajicere, eodemque modo Zonar. *Lib.* VIII *c.* 8, Clandium Tribunnm ab Appio Claudio Consule esse praemissum, atque adeo anno 264. Diodorus, qui novum librum ab illo Olympiadis anno incipere solet, qno memorabilis qnaedam res gesta est, ut supra vidimns, librum XXIII inchoavit a transitu Consulis, qni fnit Ol. 129 anno primo ineunte, i. e. aestate anni a. Chr. 264: sed in fine libri XXII narraverat, quae ad ultimum annum Ol. 128, i. e. ad priorem ejusdem anni juliani 264 partem pertinebant, scilicet pugnam navalem in freto, transitum Claudii Tribuni, et Carthaginiensinm ex arce Messanae expulsionem, quae quasi introductio erant in ipsnm bellum, quod incepere Hanno, novus in Sicilia Poenorum Imperator, et Appius Consul. Hinc forte nnmerorum differentia inter Romanos scriptores et Dionysinm Polybiumque. Nam si per Consules numeras, consulatus Lntatii Catuli et Posthumii Albini, qno bellum finitnm est anno a Chr. 242, a Claudio Cos. est vicesimus tertius, numerus, quem agnoscunt Eutropins, Orosius. At si per Olympiades, qnum Claudius Tribnnus transierit Ol. $\frac{128}{4}$, Hamilcar autem pace cum Lntatio Cos. facta, Siciliam reliqnerit posteriore parte anni a. Chr. 242, Olympiadis autem $\frac{134}{3}$, annus belli vigesimns quartus eveniet, quem habet Polyb. *Lib.* II *c.* 63 et Diod. *Lib.* XXIV *Ecl.* III et *Lib.* XXV *Excerpt. de Virt. et Vit.* p. 566.

Eadem per Olympiades computandi ratione Graecus quidam scripsisse poterat, Hieronem cum Romanis bellum gessisse ab Ol. $\frac{128}{4}$ usque ad Ol. $\frac{129}{2}$, atque adeo tertio anno pacem cum iis patrasse; cujus verborum fortasse recordans Eutropius in *Epitome Lib.* II c. 19 prodidit: *Tertio anno in Sicilia contra Hieronem bellum patratum est.*

In dubio quoque annus est, quo Hiero frumentum et reliqua cladis levamina miserit Rhodiis, i. e. quo anno terrae motus Colossum concusserit; nam de eo diversa tradere videntur Eusebius et Polybius. Hic autem postquam res in Asia gestas exposuerat usque ad pugnam Rhaphiensem, quae eodem tempore, quo proelium ad lacum Thrasymenum, commissa est, *lib.* V *c.* 31—87, rediens ad Europam, antequam res Achaeorum narrare pergit, in transitu Rhodiorum meminit, *c.* 88—90, qui magnam sapientiam ostenderant in calamitate, quae acciderat κατὰ τοὺς προειρημένους καίρους. Haec verba nimis stricte accipientes nonnulli, ut Petavius, cogitavere de eodem anno, quo pugna ad Rhaphiam accidit, quibus obstat Antigoni mentio inter illos, qui Rhodios donis sublevaverunt. Hic autem quum mortuus sit anno a. Chr. 221, et quia Polybius in reliquis temporum ordinem accurate persequitur, (res autem Rhodiorum in superiori libro c. 54 exposuerat usque ad pacem cum Byzantinis factam, quod accidit anno a. Chr., 222 *lib.* IV c. 48), apparet ejus mentem fuisse, brevi post bellum illud terrae motum accidisse. Eodem fere tempore Hieronymus ex Eusebio apud Scaligerum Colossum decidisse scripsit, anno secundo Ol. 139: neque alio modo Orosius *Lib.* IV, *c.* 13 anno U. C. 531 i. e. anno a. Chr. 222. Et melius id tempus convenit cum conditione Hieronis, qui tunc reliquis curis erat liber;

idem autem anno 217, jam omnibus viribus occupatus erat in parandis auxiliis contra Hannibalem, quae brevi post Romam pervenire curavit: ita ut eodem anno tanti pretii munera Rhodiis mittere non potuissit.

Sed inter eos, quorum liberalitate usi sunt Rhodii, apud Polybium legitur, *Σέλευκος ὁ πατὴρ Ἀντιόχου* i. e. Callinicus, qui diem obiit anno a. Chr. 227. Hinc Wesseling. probat Simsonii sententiam, (ad hujus Chronic. *p.* 1204, et ad Diod. *Lib.* XXVI *Ecl.* VI), terrae motum prius accidisse, scilicet Ol. $\frac{137}{4}$ a. Chr. 229. Tunc autem Callinicus captivus erat apud Persas, et remitti Rhodiorum clades deberet ad annum 231. At vero praeter ea, quae modo de temporum ordine a Polybio observato, dixi, non probabile est Prusiam, Bithyniae regem, quem ibidem inter Reges qui Rhodios beneficiis affecerunt, recenset Polyb. *c.* 90, tunc jam regnavisse: nam quum interfectus sit anno a. Chr. 147, regnum obtinuisset per annos 82. Non igitur videtur Polybii sententia fuisse Callinicum dona illa misisse, sed legendum esse *Ἀντίοχος ὁ παῖς νεώτερος Σελεύκου*, vel simile quid.

Superest ultimus Hieronis annus, qui, quum reliquos secundum hunc annum constituerimus, accuratius est investigandus. De hoc anno ita Clinton, *Fast. Hellen. in Append. de Syracusis not. ad pag.* 281: *Hieronem posteriore anni* 216 *parte mortem obiisse, exploratum est. Nam superstes fuit filio Geloni, qui pugnae Cannensi superfuit. Liv.* XXIII *c.* 30. *Hinc Sequitur ut Hiero non ante medium a.* 216 *mortuus sit. Ejus Successor Hieronymus tredecim menses regnavit μῆνας οὐ πλείους τριῶν καὶ δέκα Pol.* VII *c.* 7 *et interfectus est a.* 215 *prius quam Consules proximi anni creati sunt. Liv.* XXIV *c.* 7. *Ita posteriore anni* 216 *parte Hieronymum regnum occupasse, et Hieronem excessisse effici-*

atur. Verum est Hieronem superstitem fuisse pugnae Cannensi, sed eum quoque ultra initium sequentis anni vixisse, sequentibus probare conabor.

Anno cladis Cannensis Praetores creati erant M. Pomponius Matho, et P. Furius Philus. Additi duo Praetores, M. Claudius Marcellus in Siciliam, L. Postumius Albinus in Galliam *Liv. Lib.* XXII C. 35. Marcellus autem in Siciliam non profectus esse videtur, quod annotare omisit Livius, sed classi ad Ostiam stanti/ praefuit, donec, post pugnam Cannensem, exercitum a Terentio Cos. accepit *c.* 57: *(Plut. Marc. c.* 9 sua ex Livio habet). Interea T. Otacilius, qui anno praecedenti Praetor fuerat Urbanus, *c.* 10, Propraetor in Sicilia imperium gerebat, et illi permissum, ut, si e republica censeret esse, in Africam trajiceret, *c.* 37. Hoc quidem factum est, non autem ab Otacilio, sed a Furio Philo, Praetore peregrino, *Lib.* XXIII *c.* 21. Otacilius ipsam Siciliam administravit usque ad finem anni, quo tempore Hiero adhuc superstes erat. *ib.*

Sequenti anno, a. Chr. 215, Praetores creantur alii, et Ap. Claudius Pulcher, *c.* 24, qui Siciliam sortitus est *c.* 30. Postquam Ti. Sempronius Consul Idibus Martiis magistratum inierat, *ib.*, Ap. Claudius Legatum in Siciliam praemisit, deinde ipse eo est profectus, *c.* 32, et T. Otacilius, qui duumvir creatus fuerat aedi dedicandae Menti, *c.* 31, postquam dedicavit, iterum in Siciliam cum imperio, qui classi praeesset, missus est, *c.* 32. Interea Legati Philippi et Hannibalis capiuntur, *c.* 34, et Senatus classem et opes parat ad Philippum reprimendum, in quas pecuniae impenduntur, quae Ap. Claudio in Siciliam missae erant, ut redderentur Hieroni, *c.* 38. Simul frumentum misit Hiero, unde

apparet. Regem post mensem Martium anni 215 vixisse. T. Otacilius autem classem, et Ap. Claudius provinciam administrare pergunt, c. 41; sed Hieronem interea mortuum esse, quasi indicant verba c. 48: *Siciliam ac Sardiniam vix Praesides provinciarum alere.* *Livius* inde a *cap.* 41 continuo narrat quae eo anno in Italia gesta sunt: iisque usque ad hiemem perductis, xxiv c. 3, redit ad Siciliam, c. 4, ubi *mors Hieronis omnia mutaverat.* Narrat Livius deinceps quae hanc mortem secuta erant; successisse Hieronymum, qui paullo post legatos misit ad Hannibalem, Claudium vero, ut ea audivit, legatos misisse ad Hieronymum, sed quos contumeliis excepit tyrannus, c. 6. Hisce statim Livius subjungit mentionem mortis Hieronymi c. 7, et *incerto rerum statu, Ap. Claudius, bellum oriens ex propinquo cum cerneret, Senatum literis certiorem fecit, Siciliam Carthaginiensi populo et Hannibali conciliari.* Proxime sequuntur: *exitu anni ejus, Q. Fabius — comitia edidit.* Ex his diceres ante exitum anni ejus Hieronymum esse occisum, omnia enim ista gesta esse Praetura Claudii: hinc autem si deducantur tredecim menses, quos Hieronymi imperio tribuit Polybius, omnino staret ratio Cliutonis, et mortuus esset Hiero ultima parte anni 216.

Sed, ratione temporis habita, narratio Liviana de caede Hieronymi facta est loco alieno, quae fieri debuisset cap. 21. Livius vero, quum mors Hieronymi, quae paullo post accidit, statum rerum non mutaverit, arrogantia ejus erga Romanos memorata c. 6, iis subjunxit narrationem de exitio tyranni. Tunc temporis autem, nimirum versus exitum anni 215, Claudius Praetor Senatui nihil aliud annuntiavit, nisi, legatis ab Hannibale ad Hieronymum et vicissim missis, Siciliam

et Regem Carthaginiensibus conciliari: quod ex ipso Livio probari potest.

Primum idem Claudius, qui de legationibus istis Romam nuntium misit, etiam exitum Regis aununtiavit, nam eo anno *prorogatum imperium omnibus, qui ad exercitus erant, jussique in Provinciis manere;* quod etiam ad Ap. Claudium spectare, apparet ex seqq: classi praeest *c.* 27, et in Sicilia mansit usque ad finem anni hujus 214, quum a Claudio Marcello Cos. Romam ad consulatum petendum missus est, et in illa Siciliae parte continuo pro Praetore imperavit *c.* 29, licet P. Cornelio Lentulo Praetori Sicilia decerneretur Provincia, *c.* 10, 12. Iteratis autem nuntiis Claudii de animo Siculorum a Romanis deficiente, quum fortasse jam de itinere Hieronymi ad Leontinos moneret, *rumor increbescebat bellum in Sicilia esse*, et propterea T. Otacilius iterum Praetor eo cum classe proficisci jussus est, *c.* 11, 12.

A *cap.* 13 Livius persequitur res in Italia gestas, usque ad caput 21, quo loco dicit Marcello, alteri Consulum, cum mors tyranni Hieronymi duces magis impigros dedisset Syracusanis, Siciliam provinciam decretam esse. Hinc narrat quae acciderunt post mortem Hieronymi: Milites libertatis nomine capti, insepultum jacere Regis corpus patiuntur; Syracusis concio habita, *c.* 22; Andranodorus primum Imperator creatus, mox tyrannidem affectat, *c.* 24; occiditur regia familia, *c.* 26; Imperatores creantur Epicydes et Hippocrates; Legati mittuntur ad Ap. Claudium *c.* 27. Haec omnia paucis diebus magna celeritate et agitatione sunt gesta. Eodem tempore Marcellus Cos. in Siciliam venit, et ad eum Syracusanos legatos mittit Claudius *c.* 27. Non igitur interfectus est Hieronymus anno 215,

priusquam Consules proximi anni creati sunt, sed primis mensibus consulatus Marcelli, dum hic Nolam contra Hannibalem defendit, deinde una cum Q. Fabio collega Casilinum expugnat, deinde iterum Nolae adversa valetudine tenetur, post quae tandem in Siciliam missus est.

Ex his igitur sequitur, Livium et Polybium se invicem confirmare, atque Hieronem ultima aetate quaedam adhuc egisse cum Ap. Claudio, Praetore in Sicilia anni 215, atque adeo vita non excessisse ante mensem Aprilem ejusdem anni.

In familia Hieronis etiam dubia quaedam occurrunt, de quibus hoc loco disputemus, et quidem primum de uxore, quam eamdem fuisse credo ac Philistidem illam, de qua per longum tempus nihil notum erat nisi nomen. Neque hoc nomen in scriptis Veterum occurrit, sed primum innotuit nummis: qui quum sint mira elegantia, et hoc nomine nummis Principum Siculorum simillimi, statim potarunt V. D. eam in Sicilia vel Magna Graecia vixisse, praeter Harduinum et Baudelotium, qui Epiri Reginam fuisse cogitavere. Postquam vero effodi terra coepta est, qua obrutum erat antiquum Syracusarum theatrum, in lucem rediit ejus theatri cuneus, qui inscriptionem ferebat cubitalibus fere literis ΒΑΣΙΛΙΣΣΑΣ ΦΙΛΙΣΤΙΔΟΣ: ex quo convenere V. D. Syracusarum illam fuisse Reginam.

Haverkamp *ad Parutae Siciliam Numism.* eamden fuisse putavit quam Damaretam, Magni Gelonis uxorem, satis refutatus ab *Eckhel Docrina Numism. Vet. Parte* 1 *vol.* 1 p. 264. Eckhel ipse nihil decernens, observat modo: *hos Philistidis numos secundum omnes apices simillimos esse numo tetradrachmo Hieronis* 1, *quem videtis in Principis T. M. Sic. num. tab.* 98 *n.* 8. *An*

forte ejus fuit uxor, *atque ut marito memoriae causa signati numi*, *ita et uxori?* Prior Hiero, Gelonis frater, uxorem habuit filiam Nicoclis Syracusani, ex qua suscepit Dinomenem filium, *Schol. Pind. Pyth.* I *vs.* 112, qui filius statuam patri Olympiae posuit, *Paus. Eliac. Lib.* II *c.* 12, *id. Arcad. c.* 42. Anno autem a. Chr. 476 Ol. $\frac{76}{1}$, nono ante mortem, postquam amicitiam cum Therone Agrigenti Rege reconciliaverat, (*Diod* XI: 48), ejus Regis sororem duxit, *Schol. Pind. Ol.* II *vs* 29 et 37. cf. *Göller de Orig. et Situ Syrac.* p. 68 et p. 17: ipsa mulierum nomina apud Auctores non occurrunt. At comprobat Eckhel, *o. l.* p. 251 *seqq*, nummos Gelonis et Hieronis iis regibus non fuisse aequales, sed *vita functis gratae memoriae causa esse dedicatos*, *p.* 255. Mirum igitur, si adeo grata hujus Reginae memoria Syracusanis fuisset, historicos de ejus virtutibus plane tacuisse. Neque iis temporibus usu venerat nummos in feminarum honore cudere, quod quum Gelonis uxori Damaretae acciderit, exceptio erat, ab Historicis non omissa, *Diod.* XI: 26.

G. L. Castellus Princeps Torremuzae in *Siciliae Inscript. Nov. collect.* p. 66, eam ignoti Regis vel Tyranni uxorem habet, quales plures Syracusis fuisse suspicatur. Nimirum Cic. *in Verr. Lib.* IV *c.* 55, de ornamentis templi Minervae a Verre spoliatis, *viginti et septem*, inquit, *praeterea tabulas pulcherrime pictas ex eadem aede sustulit: in quibus erant imagines Siciliae regum ac tyrannorum.* Castellus autem l. l. animadvertit: *sedecim tantum hucusque innotuere*, *Gelo*, *Hiero* I, *Thrasybulus*, *Dionysius* I, *Dionysius* II, *Callippus*, *Hipparinus*, *Nisaeus*, *Hicetas* I, *Agathocles*, *Hicetas* II, *Tynion*, *Sosistratus*, *Pyrrhus*, *Hiero* II,

Hieronymus. At vero non adeo ignorantur res Syracusarum, ut inde a Gelone undecim Tyrannorum nomina desiderarentur. In verbis Ciceronis sive vox *Sicilia* proprie est sumenda, ita ut imagines nonnullorum Tyrannorum ex reliquis Siciliae civitatibus Agrigento, Himera, aliis, in aede illa positae fuissent; sive, quod probabilius, de solis Syracusarum principibus cogitandum est, sed fuerunt inter viginti septem illas imagines antiqui Syracusarum aute Gelonis tempora Reges, ex quibus duo nomina innotuere. *Archias*, qui colonos Syracusas deduxit, et *Polis*, S. *Pollis*, de quo *Pollux Lib.* VI c. 2, et *Athen. Deipnos. lib.* I *p.* 31 B. Post Gelonem igitur non quaerendum de ignoto quodam tyranno, cui nupserit Philistis. Alii Philistidem Dionysii II uxorem habuerunt, alii eamdem atque Nereidem, Pyrrhi filiam, Gelonis uxorem, (*Hughes Travels in Sicily vol.* I *p.* 99.), nulla ratione ducti. Nemo de Hierone Hieroclis filio cogitabat, fortasse, quia pro cognita Regis moderatione res videbatur insolentior, imprimis ob vocem additam βασιλίσσα, quum ipse Hiero hunc titulum repudiasse, certe in nummis non expressisse false putabatur, sed vid. inscriptio quae recensetur infra e *Castello op. l. p.* I. et *Eckhel op l. vol.* 2 *p.* 255.

Postea, hac memoria, anno 1804, denuo in terra effodienda, qua tegitur theatrum Syracusanum, operam posuit G. M. Dapodiechi, cujus effossionis meminit *Kephalides* in opere, cui titulus *Reize door Italie en Sicilië V.* II c. I. Hinc post multos cuneos pulvere et sordibus purgatos, apparuerunt alii, similibus literis ornati, de quibus *Logoteta* in op. *Antichi Monumenti di Siragusa illustrati*, et *Panoffka*, *Lettera a S. E. il duce di serra difalco sopra una iscrizione del teatro Siracusano* 1825: et post hunc *Göttling*, cujus animadver-

siones in lucem editae, exstant in *Rheinisches museo für Philologie* II *Jahrg.* 2 *Heft* p. 103—109. Primus cuneus periit. In secundo legitur ΒΑΣΙΛΙΣΣΑΣ ΝΗΡΗΙΔΟΣ; in tertio ΒΑΣΙΛΙΣΣΑΣ ΦΙΛΙΣΤΙΔΟΣ: in reliquis integra vocabula non supersunt, sed periere nonnullae literae, quas conjectura supplere conati sunt V. D. In quarto autem Göttling tantum vidit literas ΒΑΣ . . . . ΝΟΣ, unde efficit ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΙΕΡΩΝΟΣ, p. 108. Opera Logotetae et Panoffkae non vidi, sed in opere Anglico, *Stuart Antiquities of Athens and other Places in Greece, Sicily* cet. *Lond.* 1830 *tom.* V, dicuntur in quarto cuneo exstare literae ΒΑΣΙΛΙΣΣΑΣ . . . . ΝΟΣ. Quod si verum est, videndum an ultimae literae ΝΟΣ satis accurate descriptae sint, et inscriptio hujus cunei suppleri posset ex *Athen. Deipnos. Lib.* XIII p. 577. A: Εὔμαχος Ἱερώνυμον φησὶ τὸν τυραννήσαντα Συρακουσίων ἀγαγέσθαι γυναῖκα τῶν ἐπ' οἰκήματος προεστηκυιῶν Πειθὼ ὄνομα, καὶ ἀποδεῖξαι βασιλίδα. Inscriptae esse potuerunt hae literae tempore Hieronymi tyranni, a cujus superbia et insolentia non alienum erat novum hoc, ut cunei theatri insignirentur nominibus ex familia Regia.

Sed quod ad Philistidem, quum nomen ejus simul cum Nereidis nomine insculptum sit, probabilius videtur, eam iisdem temporibus vixisse: praesertim tamen eam Hieronis uxorem fuisse putaremus, quia inter reliquos Syracusanorum Reges nullus exstat, ad quem verisimilitudine quadam referri potest. Videtur quidem parum convenire modestiae Hieronis, ut Reginae nomine conjugis formam in nummis expresserit, quae res nondum valde in usu erat, sed observandum antiquis temporibus Magnum Gelonem praecessisse, in cujus uxoris Damaretae honore aureos nummos esse cusos nota res est: *Diod, Lib.* XI *c.* 26. Gelonis autem memoriam,

Syracusanis gratissimam, Hiero et similitudine virtutum, et aliis etiam rebus in vitam revocare et servare voluit, ut nomina filii Gelonis, et filiae Damaretae indicant. Si tamen nimis remotum ab Hieronis ingenio hoc videatur, ei dissimillimus fuit nepos Hieronymus, puer superbus, qui brevi imperii tempore multa fecit, quibus gloriosum ingenium prodidit. Diadema, albi equi, satellites memorantur a *Liv.* XXIV: 5, nummi ejus arrogantiae testes supersunt: cf. *Polyb.* VII c. 8, *Diod. Lib.* XXVI *Excerpt. de Virt.* et *Vit.* p. 568. Huic forte debentur tot nummi Hieronis, in quibus caput adspicitur diademate revinctum, neque mirum esset, si aviam quoque nummis honorare cupiverit, cujus rei exemplum habebat in Pyrrho, hunc honorem matri Phthiae tribuente. Ceterum Reges Aegypti, omnium splendidissimi, etiam hac in re reliquis praeibant, et jam cusi erant nummi Berenices, Arsinoes et alius Arsinoes uxorum Soteris, Philadelphi et Philopatoris. Hieronis nuptiarum, sed tacito uxoris nomine, meminit solus Polybius *Lib.* I c. 9. Philistidem nostri Hieronis uxorem fuisse, existimat quoque *Osannus*, *de Philistide Syracusarum regina Gissae* 1825, sed librum videre mihi non contigit.

De filio Hieronis Gelone, deque ejus filiabus, infra in vita Hieronis agetur: sed quum de animo, quo erga patrem affectus fuerat Gelo, admodum diversa tradant Livius et Polybius, horum sententias paullo accuratius inspiciamus. Ille *Lib.* XXIII c. 30. *In Siciliam quoque eadem inclinatio animorum pervenit: et ne domus quidem Hieronis tota ab defectione abstinuit, namque Gelo maximus stirpis, contemta simul senectute patris, simul post Cannensem cladem Romana societate, ad Poenos defecit: movissetque in Si-*

cilia res, nisi mors adeo opportuna, ut patrem quoque suspicione adspergeret, armantem eum multitudinem, sollicitantemque socios absumsisset. Etiamsi mores ingeniumque Gelonis non nisi ex hoc loco noscerentur, postrema certe ob mores Hieronis satis cognitos, silentio, tamquam fide indigna, prateriremus. Praeterea ipse Livius Regem Hieronem liberorum fuisse amantissimum innuit, xxiv *c.* 4. Forte subito mortuus est Gelo; quod si principibus viris accidat, praesertim, opportuno adversariae factioni tempore, statim de veneno vel alio modo vi illata, vulgus suspicari solet: Livius autem Romanos historicos hic secutus, et Polybium deseruisse videtur.

Nam et priora alio modo narrat Polybius, *Lib.* vii *c.* 8. *Γέλων — σκοπὸν προέθηκε κάλλιστον ἐν τῷ ζῆν. τὸ πειθαρχεῖν τῷ γεννήσαντι, καὶ μήτε πλοῦτον μήτε βασιλείας μέγεθος μήτ' ἄλλο περὶ πλείονος ποιήσασθαι μηδὲν, τῆς πρὸς τοὺς γονεῖς εὐνοίας καὶ πίστεως:* et paullo superius: Hiero *διεφύλαξεν τὴν ἀρχὴν ἀνεπιβούλευτον.* Quum igitur in omnibus Gelo patri fuerit obedientissimus, certe ei non refragatus erit in gravissima hac quaestione, de societate Romanorum vel Carthaginiensium praeferenda. Ceterum eum hoc tempore patri, in administranda Republica, socium fuisse, indicare videtur Polyb. v *c.* 88, dicens, dona Rhodiis missa, statuamque positam esse ab Hierone simul et Gelone. A Diodoro Rex vocatur, *Excerpt. de Virt. et Vit.* p. 568, *ὅτι Γέλωνος καὶ Ἱέρωνος τῶν βασιλέων κατὰ τὴν Σικελίαν τετελευτηκότων ἐν Συρακούσαις*, qua in re reprehenditur a Wessel. ad l. Non difficile est excogitare unde fabula de defectione Gelonis orta sit, nam revera non *domus Hieronis tota ab defectione abstinuit.* Generos enim ejus Andranodorum et Zoippum, Geloni moribus nequaquam similes, Cartha-

giniensibus favisse, ex iis quae secuta sunt, apparet, cf. *lib.* XXIV: 5, quae ad ipsum Regis filium et successorem translata sunt.

Duxerat hic Gelo uxorem Nereidem, filiam Pyrrhi Epirotarum regis, ut vulgo putatur, celeberrimi Romanorum hostis, ut vero mihi probabilius videtur, hujus nepotis. *Plutarchus* in *V. Pyrrhi* tres ejus recenset filios: Justinus praeterea filiam memorat, Olympiam. Ptolemaeus, natu maximus, ante patrem obiit; Alexander et Helenus, quos parvulos patrem in Italiam secutos esse dicit *Justin.* XVIII *c.* 1, adulta aetate erant, ubi Pyrrhus occisus est. Helenus parti exercitus tunc praeerat, *Plut. c.* 33, et ab Antigono in Epirum remittebatur, *c.* 34 *fine*, *Just.* XXV *c.* 5; de eo mentio posthac non invenitur.

Alexander, quem pater in Peloponnesum profecturus, fortasse eodem consilio, quo antea Ptolemaeum, *Just.* XVIII, *c.* 1, in Epiro reliquerat, in imperium Epirotarum successit, *Just.* XXVI *c.* 2, Olympia, germana sorore, uxore ducta, *id* XXVIII *c.* 1. Hic patris mortem ulturus Antigonum e regno Macedoniae ejecit, sed mox ipse a Demetrio, Antigoni filio, repulsus, Epirum etiam perdidit. Brevi post tamen, Acarnanum praecipue ope, restitutus est, versus eadem tempora, quibus Magas, Rex Cyrenarum decessit, i. e. a. Chr. 264, *Just.* XXVI *c.* 3. Mortuus reliquit filiam Phthiam, filiosque Pyrrhum et Ptolemaeum, nondum ea aetate ut imperium acciperent. Mater igitur Olympias filiorum et regni tutelam suscepit, et ab hostibus pressa Phthiam collocavit uxorem Demetrio, Macedoniae Regi, qui regnavit ab anno a. Chr. 243—233. Hic autem ita auxilia praestitit, ut Illyriorum Regi, Agroni, pecuniis datis persuaserit, ut contra Aetolos Acarnanibus opem ferret;

quominus ipse subveniret fortasse impeditus a priore uxore, Antiochi, Syriae Regis, sorore, quae repudiata, ad fratrem fugerat.

Deinde Olympias Pyrrho regnum tradidit, *Just.* xxviii *c.* 3; quo defuncto, succedit Ptolemaeus, *qui, cum hostibus instructo exercitu obvius processisset, infirmitate correptus in itinere decessit.* Olympias filiis non diu supervixit: *cum ex gente regia sola Nereis virgo, cum Laodamia* (Deidamia vocabatur) *sorore superesset, Nereis nubit Geloni, Siciliae Regis filio; Laodamia autem cum in aram Dianae confugisset, concursu populi interficitur.* Haec Justinus. Incertum quemnam duarum sororum patrem intellexerit, Alexandrum, vel alterum ex ejus filiis Pyrrhum Ptolemaeumve; sed de Pyrrho Aeaci filio, eum cogitasse, nemo ex verbis ejus conjiciet.

Postrema Justini, ut solet multis omissis, e Trogo descripta, confirmantur et illustrantur nonnullis locis apud superstites scriptores obviis. *Athen. Lib.* xiii *p.* 589: Πύῤῥου δὲ τοῦ Ἠπειρωτῶν βασιλέως, ὃς ἦν τρίτος ἀπὸ Πύῤῥου τοῦ ἐπ' Ἰταλίαν στρατεύσαντος, ἐρωμένη ἦν Τίγρις Λευκαδία, ἣν Ὀλυμπιὰς ἡ τοῦ νεανίσκου μήτηρ φαρμάκοις ἀπέκτεινε. Τρίτος a Pyrrho, igitur erat successor Alexandri, cujus meminit *Lib.* iii p. 73: ἐπὶ τοῦ βασιλέως Ἀλεξάνδρου τοῦ Πύῤῥου. De Deidamia duo loci. De ejus morte satis conveniens narratio est apud *Polyaen. Strateg. Lib.* viii *c.* 52. Δηϊδάμεια Πύῤῥου θυγάτηρ Ἀμβρακίαν καταλαβομένη τιμωρῆσαι Πτολεμαίῳ δόλῳ φονευθέντι προελομένη, πρεσβευσαμένων Ἠπειρωτῶν, τὸν πόλεμον κατέθετο ἐπὶ τῷ τὸν κλῆρον καὶ τὰς τιμὰς ἔχειν τῶν προγόνων· καὶ λαβοῦσα πίστεις, ἐξηπατήθη συνταξάμενοι γὰρ τῶν Ἠπειρωτῶν τινὲς Νέστορα τῶν Ἀλεξάνδρου σωματοφυλάκων ἀναιρήσοντα αὐτὴν εἰσέπεμψαν· ὁ δὲ κάτω νεύσασαν αἰδεσθεὶς καὶ καταπλαγεὶς ἀνέστρεψεν· ἡ δὲ

κατέφυγεν εἰς τὸ ἱερὸν τῆς Ἡγεμόνης Ἀρτέμιδος, ubi a Milone quodam interfecta est. Alter in *Pausan. Messen. c.* 35. Τὰ ἐν Ἠπείρῳ τῇ Θεσπρωτίδι ὑπὸ ἀναρχίας ἐφθάρη· Δηϊδαμείᾳ γὰρ τῇ Πύῤῥου παῖδες οὐκ ἐγένοντο, ἀλλὰ ὡς τελευτᾶν ἔμελλεν, ἐπιτρέπει τῷ δήμῳ τὰ πράγματα. . Θυγάτηρ δὲ ἦν Πύῤῥου, τοῦ Πτολεμαίου, τοῦ Ἀλεξάνδρου, τοῦ Πύῤῥου. Duplex error: primus quod sponte Deidamia populo libertatem dedisset; alteri sncсurritur si inter nomina Πύῤῥου et Πτολεμαίου inseratur ἀδέλφου. Apparet autem, ex posteriori loco, *regiam stirpem* apud Justinum significare prolem Pyrrhi, filii et successoris Alexandri, et Gelonem nou duxisse filiam Pyrrhi Aeacidae, sed filiam Pyrrhi Alexandri filii.

Snnt auctores qui contrarium perhibent, et diserte loquuntur: *Paus. Eliac.* II *c.* 12. Οὗτος δ' Ἱέρων ξενίαν πρὸς Πύῤῥον τὸν Αἰακίδου καὶ ὁμοῦ τῇ ξενίᾳ καὶ ἐπιγαμίαν ἐποιήσατο Γέλωνι τῷ παιδὶ, Νηρηΐδα ἀγαγόμενος τὴν Πύῤῥου. *Polyb. Lib.* VII *c.* 4. Hieronymi assentatores μετὰ δὲ ταῦτα φάσκοντες, μηδενὶ καθήκειν μᾶλλον τὴν ἁπάντων Σικελιωτῶν ἀρχὴν, ὡς ἐκείνῳ· πρῶτον μὲν διὰ τὸ τῆς Πύῤῥου θυγατρὸς υἱὸν εἶναι Νηρηΐδος, ὃν μόνον κατὰ προαίρεσιν καὶ κατ' εὔνοιαν Σικελιῶται πάντες εὐδόκησαν σφῶν αὐτῶν ἡγεμόνα εἶναι καὶ βασιλέα. Quae secutns *Liv.* XXIV: 6. *(Hieronymus) inflatus assentationibus eorum, qui eum non Hieronis tantum, sed Pyrrhi etiam Regis, materni avi, jubebant meminisse.* Pausaniae error manifestus est. Hiero juvenis erat militans sub Pyrrho Rege, et ob fortitudinem ei commendatus: hujusque filius Gelo nondnm natus erat, quum cecidit Pyrrhus. Melius igitur Pausaniae verba inter se congruerent, si pro Αἰακίδου legeretur Ἀλεξάνδρου.

Et sic melins se habet temporum ratio. Hieronymus auno a. Chr. 215 erat 15 annos natus, *Liv.* XXIV *c.*

4: Nereis igitur eum peperit anno 230, i. e. 42 annis postquam Pyrrhus, Aeaci filius, mortuus erat. Nec minimus natu erat Hieronymus; nam fratres habebat pueros, quos, ubi bellum cum Romanis parabat, Alexandriam misit, *Polyb.* VII *c.* 2: (fortasse una cum Zoippo, Heracleae, Hieronis filiae marito, *Liv.* XXIV *c.* 26): habebat quoque sororem, Harmoniam paullo majorem, Themisto nuptam, *Liv. ib. c.* 25. Videtur igitur Gelo Nereidem duxisse circa annum a. Chr. 235, dum integrum adhuc erat imperium Aeacidarum in Epiro et Acarnaniae parte, fultum insuper et honoratum agnatione cum Demetrio Macedoniae Rege. Quum vero haec Nereis filia esset Pyrrhi, heredis Alexandri, cui, quippe ex Lanassa, Agathoclis Regis filia, suscepto, Pyrrhus Aeacidae filius regnum Siciliae destinaverat, *Justin* XXIII *c.* 3, facile dici poterat ab adulatoribus, Hieronymo etiam propter maternum avum convenire imperium Siculorum. Error autem de duobus Pyrrhis facile oriri poterat, quia minus cognitus erat alter hic Pyrrhus.

Sed videndum est utrum Nereis, neptis Alexandri, circa tempora quae dixi, nubili esset aetate, quod exploratum erit si constitui possit tempus, quo Nereidis soror, Deidamia, diem obiit. *Pausan.* ubi Deidamiae mentionem facit, narrat Epirotas populari imperio, quod post Deidamiam habebant, uti ignorasse, et subactos fuisse ab Illyriis: *οἱ δὲ Ἰλλυρίδι ἀρχῆς τε γεγευμένοι, καὶ ἐπιθυμοῦντες ἀεὶ τοῦ πλείονος, ναῦς τε ἐπήξαντο, καὶ ἐληΐζοντο ἄλλους τε, ὡς ἑκάστους τύχοιεν, καὶ ἐς τὴν Μοθωναίαν σχόντες ὡρμίσαντο οἷα ἐς φιλίαν*, ex qua Messeniae urbe viros deinde et mulieres, fraude circumventos, rapiunt. Compertum est quando haec acciderunt. Nam Polyb. eadem fere narrat *lib.* II *c.* I et 6: post mor-

tem Agronis, Illyriorum Regis, Teute uxor subditos ad rem piraticam instruit. *Οἱ δὲ ἐξαποσταλέντες, τὴν μὲν πρώτην ἐπιβολὴν ἔσχον ἐπὶ τὴν Ἠλείαν καὶ τὴν Μεσσηνίαν* — Praeterea Phoenicen, praecipuam Epiri urbem expugnant, regionem populantur, mox Epirotas in societatem accipiunt. Haec sunt pars malorum, quibus mortem Deidamiae expiavisse Epirotas memorat *Justin. l. l.: intestina discordia vexati, externis ad postremum bellis pene consumti sunt.* Acciderunt haec igitur ante consulatum M. Aemilii Barbulae, M. Junii Perae, a. Chr. 230, quo legatos ad Teutam miserunt Romani de injuriis Illyriorum. Conveniunt haec cum *Justino*, qui post has Epirotarum res narratas, ita pergit: *his in Epiro gestis, interim in Macedonia Demetrius Rex — decedit.* id autem factum est anno a. Chr. 233. Circa ea igitur tempora Deidamia, filia Pyrrhi, neptis Alexandri, proneptis Pyrrhi Aeacidae filii, adulta virgo erat, quae strenue contra adversarios egit. Nihil igitur obstat, quo minus soror ejus Nereis, uxor et mater hoc tempore esset. Si haec vera sint, admodum contraxisse historiam in initio Libri XXVIII Justinum, necesse est; neque Phthia Demetrio in matrimonium erit collocata, dum adhuc Pyrrhus junior in tutela esset, sed statuendum Alexandrum diu ante quam Demetrius ad regnum pervenerat, diem obiisse, et imperium Epirotarum per 35 annos, quot sunt inde a morte Pyrrhi usque ad tempus quo Demetrius Phthiam, Alexandri filiam duxerit, non continuo fuisse penes Alexandrum et ejus uxorem, sed Pyrrhum filium ex iis annis suam partem habuisse, quippe cujus proles nubili aetate erat anno 235.

DE

HIERONE HIEROCLIS FILIO SYRACUSANO.

Nobilissima Syracusarum civitas, (*) qua nulla aut situ opportunior, aut amplitudine major, aut ornatu splendidior, infelici fere semper usa est conditione. Nam postquam, devictis Atheniensibus, ad summum gloriae fastigium pervenerant Syracusani, populus, rebus gestis elatus, fortunamque insolentius ferens (†), omnem Reipubli-

(*) De ambitu Syracusarum, quam urbem Cicero *maximam Graecarum urbium pulcherrimamque omnium* dixit, *Strabo lib.* VI. *p.* 414, ἑκατὸν καὶ ὀγδοήκοντα σταδίων ἔχουσα τὸ τεῖχος: cui non dissentit *Plutarch. Nic. c.* 17 eam dicens πόλιν Ἀθηνῶν οὐκ ἐλάττονα. Athenarum autem ambitum circiter 178 stadiorum fuisse, docet *Potter.* in *Archaeol.* T. I. *p.* 57 et 68. Idem confirmant vestigia veteris Syracusarum urbis, quae commensi sunt recentiores, ut *Cluver. Sic. Ant.* I *c.* 12 *p.* 205. *Swinburn Reisen tom.* III *p.* 377, *Stolberg Reise durch Deutschland* cet. *th.* IV *Br.* 92. Urbis situm ac pulchritudinem passim laudant Livius et Cicero, imprimis in *act.* II *in Verrem Lib.* IV *c.* 52 *seqq.*

Ex recentioribus de Syracusarum situ et conditione, praecipue temporibus expeditionis Atheniensium, reliquorum diligentiam superavit Fr. Göller in libro *de situ et origine Syracusarum ad explicandum Thucydidis potissimum historiam*, *Lips.* 1818.

(†) Populi insolentiam primum experti sunt captivi, quorum crudelem sortem immutare non potuerunt No-

cae moderationem apud se esse voluerat; statimque omnia, quae democratiam comitari solent mala, in civitatem grassata sunt. Plebs mobilis, Optimates superbi, Tyranni omnibus infesti; magnis et moderatioribus viris nullus locus. Seditiones continuae, pars devicta caede et exsilio affecta: civitas plus semel in ultimum periculum adducta.

Magnus vir, tota consentiente antiquitate, fuit Dion: (*) nec tamen patriae, etsi ex inve-

---

biles Hermocrates et Nicolaus *Diod.* XIII *c.* 19 *seqq.* Ex sociis quoque Gylippus Spartanus, cui ὑβρίζοντες ἤδη τοῖς εὐτυχήμασιν οἱ Συρακούσιοι, veniam ejus quod optabat non dederunt, *Plut. Nic. p.* 541 *F. cf. Thucyd.* VII, 86. Denique tota Respublica, cujus procurationem sibi vindicavit: *Arist. Polit.* v. *c.* 3 *n.* 5, Μεταβάλλουσι [αἱ πολιτεῖαι] δὲ καὶ εἰς ὀλιγαρχίαν καὶ εἰς δῆμον καὶ εἰς πολιτείαν ἐκ τοῦ εὐδοκιμῆσαί τι ἢ αὐξηθῆναι ἢ ἀρχεῖον ἢ μόριον τῆς πόλεως οἷον . . . . καὶ ἐν Συρακούσαις ὁ δῆμος, αἴτιος γενόμενος τῆς νίκης τοῦ πολέμου τοῦ πρὸς Ἀθηναίους, ἐκ πολιτείας εἰς δημοκρατίαν μετέβαλε *Diod.* XIII: 34. Μετὰ δὲ ταῦτα τῶν δημαγωγῶν ὁ πλεῖστα παρ' αὐτοῖς ἰσχύσας Διοκλῆς ἔπεισε τὸν δῆμον μεταστῆσαι τὴν πολιτείαν εἰς τὸ κλήρῳ τὰς ἀρχὰς διοικεῖσθαι cf. *Ubbo. Emm. Graec. Resp. descriptae s. Syrac.*, et *Sainte-Croix sur les anciens gouvernem. et les lois de la sicile, in Mém. de l'Acad. R. des Inscr. et B. L. tom.* XLVIII p. 122.

(*) Dioni summis virtutibus viro, quo minus stabilem suorum benevolentiam consecutus sit, obstitit austeritas morumque durities, tum odium in populi potentiam, quod nimis imprudenter profitebatur. Hinc virtutes ejus in absentia confestim desiderium, et post mortem dolorem et misericordiam in populo excitarunt; contra ea, si praesens erat, ubique dissidium et inimicam mentem offendebat. Sententiam Dionis de optima Reip. forma explicavit *Plut. in V. c.* 12 et 53, et fallitur Nepos, *in V. Dion. c.* 6 de Heraclide dicens,

terata tyrannide in libertatem ab eo vindicatae, multum utilitatis attulit, quum indocile et leve populi ingenium vel compescere, vel componere atque tenere nesciverit.

Timoleon erat felicior; fuitque per quadriennium, quod post tyrannos ejectos vixit, Syracusis otium ab intestinis discordiis: cujus tamen quietis maximam partem ipsa sibi tempora et rerum status vindicant. Incolis enim fere nudatae (*) Syracusae, et qui supererant, in miseriam et paupertatem redacti, ad opes restituendas illo tempore utebantur. Ipse Timoleon radicem malorum non evellerat, sed foverat etiam: nec multo post novo eruperunt impetu, (†) et omni atrocitate saevierunt.

---

neque is minus valebat apud optimates, quorum consensu praeërat classi. Omnino eum ex plebe factionem comparavisse vel Plut. disertis verbis docet, *Dion. c.* 32 de Heraclide: *εὐθὺς οὖν ὑπεδύετο τὴν τῶν πολλῶν χάριν, ἔχων μέν τι καὶ φύσει πιθανὸν καὶ κινητικὸν ὄχλου θεραπεύεσθαι ζητοῦντος· ὑπολαμβάνων δὲ καὶ μετάγων ῥᾷον αὐτούς, οἳ τὸ σεμνὸν τοῦ Δίωνος, ὡς βαρὺ καὶ δυσπολίτευτον, ἀπεστρέφοντο· — καὶ πρῶτον μὲν εἰς ἐκκλησίαν ἀφ' αὑτῶν συνδραμόντες, εἵλοντο τὸν Ἡρακλείδην ναύαρχον:* cf. *c.* 48.

(*) Miserrimam eo tempore Syracusarum et Siciliae universae conditionem descripsit *Plut. initio vitae Timol.*, cf. *Diod.* xvi: 83.

(†) Plut. vitae Timoleontis finem imponit hisce verbis: *αὐτοὶ* [Syracusani] *δὲ χρώμενοι πολιτείᾳ καὶ νόμοις οὓς ἐκεῖνος κατέστησεν, ἐπὶ πολὺν χρόνον εὐδαιμονοῦντες διετέλεσαν*: et *Diod.* xvi: 83 pacem a Timoleonte constitutam appellat *πολυχρόνιον*, quam sententiam recentiores repetiverunt. Res Syracusarum, quae Timoleontis mortem proxime exceperunt, minus sunt cognitae. In Diodoro, (qui in *cap.* 3 *libri* xix, iterumque in

Quae quum reputemus, illum magnum fuisse suspicabimur virum, qui harum partium studio

---

cap. 10, ad ea lectores delegat, quae superiori libro de Heraclide et Sosistrato scripserat), exstat lacuna duorum annorum, qua ista, ut videntur, tractata erant: vid. *Wessel. ad Diod.* XVIII: 44; nec multum lucis addunt, quae narrat *Justin.* XXII: 1. Eam tamen pacem non adeo diuturnam fuisse, ex iis quae supersunt, facile effici posse videtur. Nam Agathocles, si mortuus est anno a. Chr. 289, (regnum scilicet, quod per 28 annos tenuit, occupaverat Ol. $\frac{115}{4}$, *Diod. Fragm.* l. XXI, ibique *Wessel.*), natus circiter erat 21 annos quando Timoleon, victis ad Crimissum flumen Carthaginiensibus, civitatem Syracusanam cum quibusvis communicavit. Tertio anno post, a. Chr. 337, Timoleon mortuus est: viginti igitur annis omnia acciderunt, quae de Agathocle narrat Diod. *in initio lib.* XIX, usque ad tyrannidem ab eo occupatam, anno 317. Primus ad honores gradus ei fuit Tribunatus, quem bello quodam adversus Agrigentinos, (Justin. l. l. hostem *Aetnaeos*, et Imperatorem *Damasconem* appellat), a Damante Syracusano, a quo amatus erat, accepit. Igitur adolescentiam nondum transcenderat quando illud bellum gestum est, quod altero etiam argumento probatur. Nam mortuo Damaute, ejus viduam uxorem duxerat Agathocles. Jam vero tempore expeditionis in Africam, anno a. Chr. 310, adulta aetate filius ejus erat Agatharchus, qui suspicionem habebat stupri cum noverca Alcia, *Diod. ib. c.* 34, 68, et qui eo tempore (a. Chr. 307), occisus, filium reliquit, *Diod. Ecl.* XII *lib.* XXI. Non diu igitur post Timoleontis mortem istam Damantis expeditionem acciderit necesse est. Neque internam quietem diuturnam fuisse arguunt, quae pergit narrare *Diod.* XIX: 3, de auxilio contra Bruttios Crotoniatis misso, cujus τῶν ὅλων εἶχον τὴν ἡγεμονίαν Ἡρακλείδης καὶ Σωσίστρατος, ἄνδρες ἐν ἐπιβουλαῖς καὶ φόνοις καὶ μεγάλοις ἀσεβήμασι γεγονότες τὸν πλείω τοῦ βίου. *Polyb.* XII: 15 de Agathocle: εἰς τὰς Συρακούσας παρεγενήθη φεύγων τὸν τροχὸν, τὸν καπνὸν, τὸν πηλὸν, περί τε τὴν ἡλικίαν ὀκτωκαίδεκα ἔτη γεγονώς· καὶ μετά τινα χρόνον, ὁρμηθεὶς ἀπὸ τοιαύτης ὑποθέσεως, κύριος μὲν ἐγενήθη πάσης Σικελίας cet. Cf. XV: 35.

composito, in se unum omnes convertit, regnumque sibi ultro oblatum, nulla turbatum seditione, non timore sed benevolentia munitum, per quinquaginta quatuor annos servavit. Qualis quum fuerit Hiero, non fore sine fructu videtur, si colligendo et explicando quae de hoc viro Antiqui scripta reliquerunt, de ejus vita rebusque gestis exponamus.

Patrem habuit Hieroclem, quem a Gelone, (*)

(*) Just. XXIII: 4, *Genitus erat*, inquit; *patre Hieroclito, nobili viro, cujus origo a Gelone, antiquo Siciliae tyranno, manabat.* Mirum si vera sint, reliquos de hac origine tacuisse. *Paus. Eliac.* II c. 12, post Gelonis ejusque fratris Hieronis mentionem, ita pergit: *παρὰ δὲ τοῦ Ἱέρωνος* [Prisci] *τὸ ἅρμα ἀνὴρ ἐστὶν ὁμώνυμός τε τῷ Δεινομένους, καὶ ἐν Συρακούσαις καὶ οὗτος τυραννήσας. Ἱέρων δὲ ἐκαλεῖτο Ἱεροκλέους*: nihil de cognatione addit. Neque *Polyb.* VII: 8, (quem exscripsit *Suid.* in *v.* Ἱέρων): *πρῶτον μὲν δι' αὑτοῦ κατεκτήσατο ἀρχὴν, οὐ πλοῦτον, οὐ δόξαν, οὐχ ἕτερον οὐδὲν ἐκ τῆς τύχης ἕτοιμον παραλαβών.* Immo *Zonaras*, VIII: 6 *ex Dion. Coccej.*, ei omnem nobilitatem abnegat. Ἱέρων, inquit, *οὔτε πατρόθεν ἐπιφάνειαν ἔχων τινὰ, μητρόθεν δὲ καὶ δουλείᾳ προσήκων, Σικελίας ἁπάσης ἦρξε μικροῦ.*

Casaubonus vero, Justino fretus, hujusmodi familiae stemma edidit in *Dion. Halic. Ant. Rom.* VII: 1.

Dinomenes.

Gelo. *Hiero.* *Thrasybulus.* *Polyzelus.*

Dinomenes.

Hierocles.

Hiero.

Dumareta, uxor Andranodori. *Gelo, obiit vivo patre.* *Uxor Zoili.* *Heraclea, Sosippi uxor.*

Hieronymus, qui avo puer successit. *Harmonia, uxor Themisti.*

prisco illo Syracusanorum Rege, ac strenuo Siciliensium libertatis vindice, originem duxisse, unus ex Antiquis est, qui prodidit. Id tamen vel minus vere esse dictum, vel, si verum sit, regiam hanc progeniem jam dudum amisisse antiquam majestatem, ex reliquorum conficitur testimoniis: ita ut hac in re nihil fortunae debuerit Hiero. Neque bonis auspiciis quidem natus videbatur;

Primum observandnm Casanbonum oblitum esse filii Gelonis, cujns mentio exstat in *Arist. Pol.* v. *c.* 8 *n.* 19: Θρασυβούλου, τοῦ Ἱέρωνος ἀδελφοῦ, τὸν υἱὸν τοῦ Γέλωνος δημαγωγοῦντος καὶ πρὸς ἡδονὰς ὁρμῶντος, ἵν' αὐτὸς ἄρχῃ: et in *fragm. Timaei*, *lib.* II *fragm.* III ap. *Göller de situ* cet. Quodsi quis Justino fidem habeat, Hieroclem ex hoc Gelonis filio ortum esse dicat, quippe *cujus origo a Gelone manabat.* Verosimile autem videtur Syracusanos, post victum Thrasybulum libertate exsultantes, nullum ex tyranni familia in urbem admisisse, eamque in exsilium totam ejecisse. *Diod.* XI: 67 seq, licet hic rem minus accurate, certe non ex mente Aristotelis exponat, ὥρμησαν, inquit, ἐπὶ τὴν κατάλυσιν τῆς τυραννίδος πανδημεί: et Thrasybulum cessisse Locros, ibique per reliquam vitam privatum habitasse, refert. Aristoteles autem aperte illud affirmat, *l. l.*: ἐξέβαλον ἅπαντας αὐτούς i. e. Thrasybulum et Gelonis filinm, eorumque factiosos.

Archimedes, qnem Plut., *Marcell. c.* 14, asserit fuisse cognatum Hieroni, Ἱέρωνι τῷ βασιλεῖ συγγενὴς ὢν καὶ φίλος, a Cicerone tamquam *humilis*, et *homunculus*, et *mathematicus* opponitur magnifico Tyranno, *Tusc. Quaest.* v: licet haec alio fortasse modo explicari possint, cf. *annotat. Dacieri ad Plut. l. l.* De filio Gelonis, et quomodo inserviat ad enodandam difficultatem in successu trinm fratrum Gelonis, et Hieronis, et Thrasybuli, (de qna *Sancto Crucius Mém. sur les anc. Gouv. de la Sic.*, *Acad. des Inscr. tom.* XLVIII *p.* 108), vid. *Göller*, *de situ* cet. § 6 *seqq.*, et qnos citat *Arnold*, *Geschichte von Syrakus*, p. 47.

nam ex ancilla susceptus, a patre, ne dedecori sibi esset timente, expositus est: cujus rei tamen Hieroclem statim poenituit, receptumque infantem summa cura educavit. (*)

Insignis erat omnium Graecorum superstitio, ea tamen imprimis apud Siculos vigebat; nec facile apud hos (†) virum ingenio vel rebus gestis clarum, invenies, cui omina et ostenta defuerint. Feruntur et talia de Hierone. Nam quum expositus esset, ut fieri solebat apud Graecos, in loco deserto, quo alimentis atque reliquarum rerum cura destituti, brevi interibant infantes, apes affuerunt, qui melle suo ejus vitam sustentarunt. Quo animadverso, auguribus portentum de futuro regno interpretantibus, pater Hieronem domum reduxit. Eidem puero, cum condiscipulis in gymnasio discenti, lupum librum eripuisse, et cum illo aufugisse, memoratur.

Accessit ad aetatem, qua militiae nomen da-

(*) Horum auetor *Just.*, XXIII: 4.

(†) Exempla passim. Dinomeni praedictum erat filios Gelonem, Hieronem, Thrasyhulum regnaturos esse, *Plut. de Pyth. Orac. c.* 19. De Dionysii matre praegnante, *Cic de Divin.* I: 20: de apihus eidem regnum ostentantibus, *Aelian. V. H.* XII: 46. Item apes et alia ostenta Dioni praenuntiant, quae eventura sint, *Plut. Dion. c.* 24: de alio spectro, *id. ib. c.* 55. Signa quae Timoleonti victoriam praedixere, narrat *Plut. Tim. c.* 8. Imprimis portenta quae Agathocli infanti aeciderunt, ominibus hisce Hieronis simillima, *Diod.* XIX: 2: de noctuis victoriam pugnatori ominantibus, exemplum est in *Diod.*, XX: 11.

tur: neque deerat occasio. Namque eo duodeviginti annos nato erupit seditio, qua Menon cum exercitu Syracusas petiit; quam continua bella cum externa tum interna exceperunt, donec his finem imposuit Pyrrhus. Quibus omnibus ita se gessit, ut apud militem optima fama floreret, magnaque de eo exspectatio esset. Narrabatur noctua aliquando in hastam ejus volasse, ibique consedisse. Idem fecerat aquila in clypeo; unde majora portendi, omnes putabant. Acer et viribus praestans saepissime provocatoribus se opposuerat, et singularia certamina plura iniens, semper victor discedebat. Hinc Pyrrho, justo bellicae virtutis aestimatori, erat acceptus, ab eoque saepe militaribus donis honoratus est.

Agebat tunc alterum fere et trigesimum aetatis annum, et brevi post Pyrrhi ex Sicilia recessum, ad summam in Republica dignitatem pervenit. Quae antequam narramus, haud abs re videtur paucis explicare, quae tunc potissimum tempora essent, et quaenam Hiero per juventutem suam in patria geri vidisset. Tempora enim, quae ipsa sentiunt vim et consilia magnorum hominum, ita multum simul valent in formandis horum ingenio et moribus: ita ut qui alio forte tempore, sub moderato populi imperio, honesto illo virtutum et consilii principatu contentus fuisset, idem aliis temporibus, ad vim et tyrannidem agatur. Tum hoc quoque ex tali contemplatione redibit, ut, cognito Reipublicae statu ante magis-

tratum Hieronis, melius judicaturi simus, quantam ille patriae utilitatem attulerit.

Jam dudum patriao amor studio cesserat partium, quarum seditiones (*) ac motus in nulla fere antiqua civitate fuerunt frequentiores. Ex soli fertilitate et apto navigationi situ adeo florebant agricultura et mercatura, ut in proverbium (†) abierint divitiae Syracusanorum. Sed utraque immensum alebat populum, studiis saepe diversum, quo utebantur vel turbulenti Demagogi, vel Optimates irritati. Hi antiquitus Gamori dicti, (§) in agrorum possessione divitias habe-

---

(*) *Heeren*, *Ideen* cet. th. II, *Carth. p.* 88: *Syraeus hatte ohnedem seinen gefährlichsten Feind in sich selbst. Das Volk dieser Stadt war bey weitem das unruhigste in allen Griechisehen staaten; seine eignen Feldhern wagten es nicht, wie Polybius vortrefflich sagt*, (Pol. I p. 19, cf. infr. ad p. 64), *sich mit ihren armeen aus den Mauern der Stadt zu entfernen, weil sie sicher seyn konnten, dasz während ihrer abwesenheit eine Revolution vorging. Schwerlich hat daher auch die Weltgeschichte einen andere Staat aufzuzeigen, der in einem gleichen Zeitraume so mannigfaltige, so schnelle, und so gewaltsame Veränderungen seiner Regierungsform erfahren hätte, und dessen Geschichte man mit gröszerm Reehte gleichsam ein practisches Compendium der Politik nennen könnte.* Argumento sit spatinm 8 annorum, inde a devictis Atheniensinm copiis, usque ad tyrannidem a Dionysio occupatam: quo ex moderata administrandi forma Respnblica sensit imperium populare, mox renascentem oligarchiam, quam excepit tyrannis Dionysii, vid. *Arist. Pol.* v. *c.* 3 n. 3, et *c.* 5 n. 6.

(†) *Συρακουσία τράπεζα*, et *Συρακουσίων δεκάτη*: *Suid. in v.*, et *Erasm. Adag.* p. 1177 et p. 546.

(§) Primis temporibus iidem fuerunt ac Coloni, qui post incolas expulsos vel subactos, agros sorte divisos

bant, saepiusque quam Athenis ad priscam potentiam redierunt. Quo minus tamen eam servarent, imprimis obstabant Novi cives, quorum magnam copiam Tyranni in civitatem induxerant. Sed e Timoleontis instituto, libera quoque Respublica saepius quoscumque advenas civitate donabat: qui advenae, omni commendatione ad honores petendos destituti, nec amore in novam patriam affecti, semper ad seditionem erant proclives, quando status rerum ille erat, ut viam ad magistratus patere viderent iis, qui genere vel auctoritate excellebant. Postea vero non amplius studium summam rerum occupandi partes incitabat, sed in dirissimnm odium transiens, nullam moderationem praevalenti factioni relinquebat. Plebs, nbi Reipublicae administrationem e manibus Optimatium eripuerat, immani crudelitate servitutem suam ulciscebatur. Optimates si in potestate erant, populum nihili facientes, superbia atque iniquitate civitatem oppressam tenebant. Quid mirum plebem, in tali rerum conditione avide eos andivisse, quicumque de injuriis deque libertate recuperanda loquebantur: etiamsi timendum esset, ne ereptum Nobilibus imperium

---

tenebant, eorumque posteri, *Dion. Hal. Antiq. Rom.* p. 388, postea universe *οἱ ἀπὸ τῶν ἐγγέιων τιμημάτων τὰ κοινὰ διέποντες*, ut Hesychius vocem interpretatur: cf. quae annotarunt *Vales.* in *Excerpt. ex Diod.* p. 549, *Valcken. ad Her.* VI: 22 et VII: 155, et *Ruhnken. ad Tim.* p. 67.

justo domino non essent reddituri, sed sibi vindicaturi.

Ex his fuit Agathocles, (*) et novus civis, et obscuro loco ortus, sed egregiis a natura virtutibus donatus; qui, quum ex ipsa re populi causae addictus esset, privatum quoque ex invidia Optimatium, atque Sosistrati (†) obtrectatione irritatum exacerbatum-

(*) Laudes ejus ap. *Polyb.* xv: 35, et libro xii, quo loco contra Timaei convicia defenditur. Idem fecit *Diod. Excerpt. de Virt. et Vit. lib.* xxi, quamvis hic tamen in ejus historia inconsideratius saepe Timaeum secutus esse videtur, quod satis produnt narrationes de inhumana Agathoclis saevitia contra Egestanos, et de tormentis, ad exemplum Phalaridis tauri excogitatis, *Lib.* xx: 71, item de crudelitate in cives Syracusanos post caedem filiorum, qua ne infantibus quidem et senibus pepercisset, dum silet de causa, quare eo tempore tristis pater severiores poenas exegerit. Nempe milites, qui filios occiderant, ad Carthaginienses transierant, et Agathocli hostes facti, partim in ipsa Sicilia commorabantur, *ib. c.* 69, unde maxime tyranno timendi erant eorum cognati. *Ebert*, in op. Σικελιῶν *p.* 78, *diu, sed incassum*, inquit, *studui reperire, Diodorus quo potissimum auctore hanc vitae Agathocleae partem exposuisset: quem ipse damnat, Timaeum secutus non est* cet. At non negat se nequaquam consuluisse Timaeum, etsi in plurimis fidem ei non esse habendam fatetur: *Excerpt. laud.* Nominatim eum de aetate Agathoclis testem citat in *Ecl. ejusdem libri* xii.

(†) Huc pertinent quae narrat *Polyaen. Strateg.* v. *cap.* 37 *p.* 525 *seq.* Ex Diodoro nimirum, *lib.* xix: 5, discimus Agathoclem, postquam Acestoridae Corinthii insidias callidissime effugerat, exsulasse, et Sosistratum cum sua factione in urbem receptum fuisse. Tunc Σωσίστρατος ἔπεισε τὸν Συρακούσιον δῆμον ἄνδρας φίλους Ἀγαθοκλεῖ, πρός τε τὴν τυραννίδα συμπράττοντας, φεύγειν μετὰ τῶν οἰκετῶν ψηφίσασθαι, quos perfide interfici cu-

que suscepit odium. Quo diuturnius fuerat certamen Agathocle duce contra Optimates, eo infestior et saevior victoria erat plebis; quae contenta ultione, facile patiebatur, omnem potentiam Ducem sibi servare. Interna ex horrenda illa tempestate quies, discordiaeque compressae, nec tamen Syracusae erant feliciores. Insatiabilis enim regnandi gloriaeque cupido, qua post victorias Alexandri M. flagrabant Imperatores, imprimis quoque occupaverat Agathoclem, neque egregias ingenii facultates ad patriae salutem confirmandam adhibuit. Perpetua autem bella et supplicia, quibus interdum tyrannidi ad securitatem opus erat, gloriam bellicae virtutis si excipias, tempora illius regni, post Dionysii secundi, infelicissima fecere.

Veneno occupatus, et animum agens, populo, in concionem convocato, libertatem reddiderat. Idque in damno potius, quam bono erat habendum; nam statim post mortem ejus omnia turbata sunt. Tot cives, quorum unica commendatio erat favor, quo apud Tyrannum fuerant, facile conjiciebant

---

ravit Sosistratus: *Polyaen. l. l.* Haec *Wesseling. in Not. ad Diod.* XXI *Ecl.* XII, retulerat ad tempora post mortem Agathoclis, et ad posteriorem illum Sosistratum, qui una cum Thoenone Pyrrhum iu Siciliam arcessivit; sed apparet ex ipsa verborum ratione *ἄνδρας φίλους Ἀγαθοκλεῖ, πρός τε τὴν τυραννίδα συμπράττοντας.* agi de tempore, quo ipse Agathocles novas res moliebatur. Posterior Sosistratus Syracusarum pro parte imperium obtinuit post Hicetam ejectum, i. e. decimo fere anno a morte Agathoclis.

quid valerent, si sui juris civitas esset. Accedebat exercitus, ex mercenariis maximam partem constans, qui quum omnia quibus Tyrannus bellicosus milites suos afficere solet, praemia, indulgentiam, honores, gustassent, sciebant in libera Republica sibi vix locum futurum. Quo factum est ut ad primum quemque deficerent, licet idem ille carissimi Principis esset interfector. (*)

Menon ab exercitu receptus, factione ex plebe comparata, in spem imperii est adductus, seque ad urbem occupandam paravit. Hicetae autem, quem Imperatorem constituerant Syracusani, instructa acie non ausus resistere, bellum fugiendo duxit, donec Poeni in causam descenderunt, susceperuntque rem Seditiosorum. Junctis his copiis non pares Syracusani, se imperata facturos dixerunt, obsidesque dederunt iis, quibus, viginti ante annis, terrorem ac metum ad ipsas Carthaginis portas intulerant. Mercenarium recipere coguntur, et cum eo turbarum fontem. Optimates enim, post Tyranni mortem auctoritatem suam firmare conantes, primum quidem obtinent, ne in comitiis ad creandos magistratus Novorum

(*) Menon Egesta, quae civitas ab Agathocle dirissime erat vastata, oriundus, primum servus, mox amici loco apud Tyrannum fuit. Tandem ab Agatharcho, Agathoclis nepote, sollicitatus, occasione ulciscendi injurias patriae data, senem veneno sustulit, dein ipso Agatharcho occiso, Tyrannidem affectavit: *Diod. lib.* XXI *Ecl.* XII. Nomen hoc modo scribi quam Μαίνων, ut est in codice Diodori mavult *Wessel. ad l. l.*

ratio habeatur. Hi autem seditione mota, (*) et conductitio milite sibi conciliato, arma sumsere, et in summo versabatur periculo Respublica, ne in eamdem ac post Thrasybulum expulsum, incideret calamitatem. Tunc enim eadem de cau-

(*) Haec seditio, quae ex mutilata Diodori narratione *Lib.* XXI *Ecl.* XIII, non satis intelligitur, ex superiori illa, quae post Thrasybulum exactum civitatem turbavit (Diod. XI. 72 seq.), explicanda est. Eadem enim appellatione, iisdemque fere verbis in utraque re usus est Diod. Qui igitur h. l. dicuntur ξένοι et μισθοφόροι non simpliciter *milites* habendi sunt, *et quidem mercenarii qui jus creandi magistratus sibi vindicarunt*, ut *Casaub.* fecit *ad Polyb.* I. 8. *p.* 126 *ed. Gron.*; sed civitatis participes, qui jure suo ab antiquis civibus destituebantur, iidem, qui paullo ante, metuentes hoc aliquando eventurum, Menoni tyrannidem affectanti faverant. Ἀτιμάζεσθαι igitur ἐν ταῖς ἀρχαιρεσίαις, quod legitur in *fragm. cit.*, idem est quod dicitur in *cap.* 73 l. XI, οὗτοι τῆς ἐκ τῶν ἀρχαιρεσιῶν τιμῆς ἀπελαυνόμενοι; quae explicantur ex superiori capite, ubi dixerat: τὰς δὲ ἀρχὰς ἁπάσας τοῖς ἀρχαίοις πολίταις ἀπένεμον. τοὺς δὲ ξένους τοὺς ἐπὶ Γέλωνος πολιτευθέντας οὐκ ἠξίουν μετέχειν ταύτης τῆς τιμῆς, εἴτε οὐκ ἀξίους κρίναντας, εἴτε καὶ ἀπιστοῦντας, μήποτε συντεθραμμένοι τυραννίδι καὶ μονάρχῳ συνεστρατευμένοι, νεωτερίζειν ἐπιχειρήσωσι. Quod tunc temporis antiqui cives metuerant, *ne conjuncti et tyrannidem affectanti opitulantes, novis rebus studerent*, idem hoc Novi cives statim post Agathoclem defunctum jam fecerant duce Menone: vi autem a Syracusanis recepti, ultimam democratiam quum vindicare non possent, una cum mercenariis copiis tumultu iterum civitatem perturbarunt. *Arist. Polit.* V. *c.* 2, ubi disputat perniciosum esse Reip., si ex una gente non constet, atque adeo plurimas civitates, quae inquilinis vel advenis civium jura donaverant, dissidia sensisse, exemplum affert priorem illam Syracusanam seditionem hisce verbis: καὶ Συρακούσιοι μετὰ τὰ τυραννικὰ τοὺς ξένους καὶ τοὺς μισθοφόρους πολίτας ποιησάμενοι ἐστασίασαν, καὶ εἰς μάχην ἦλθον.

sa, per binos annos, gravissimum bellum antiquos inter et novos cives intra muros gestum est. Quodsi numero inferiores (*) essent seditiosi, id usu armorum et belli peritia satis compensabant. Sed antequam ad arma ventum est, pacem composuere hac conditione, ut mercenarii, rebus suis collectis, ex Sicilia egrederentur. Peregrini igitur Syracusis cedunt; sed ad fretum progressi, Messinensibus, á quibus (†) hospitio

---

(*) *Diod.* xi: 73.

(†) Mira res, et totum peregrinorum exercitum a civitate quadam intra moenia receptum, et peregrinos hos civibus nocte occisis, urbis esse potitos, statimque rebus suis constitutis bella gessisse, a Diodoro et Polybio obiter memoratur. Excipiebantur autem tamquam *socii et amici*, quae verba sunt *Diod.* xxi Ecl. xiii, neque ab eo qui Excerpta *de Virt. et Vit.* composuit, omissa: *ὑπεδέχθησαν ὑπὸ τῶν Μεσσηνίων ὡς ἂν φίλοι καὶ σύμμαχοι.* *Polyb.*, I: 7., Campani qui ab Agathocle fuerant conducti *καὶ πάλαι*, inquit, *περὶ τὸ κάλλος καὶ τὴν λοιπὴν εὐδαιμονίαν τῆς πόλεως ὀφθαλμιῶντες* cet. His inuni videtur jam antea aliquid commercii interfuisse inter Messanae incolas et mercenarios Agathoclis: nec dubitandum, quin multi in ea essent tyranni amici et clientes, tum civibus ex mercenariis immixti. Bellum quod brevi postquam tyrannidem occupaverat, contra eum susceperant Sicilienses, postremi conciliavere Messinenses, *Diod.* xix: sed antequam Poenos aggrediebatur, adversariis sublatis, suam fecerat urbem, nec amplius ab eo descivisse legitur. Maximi sane momenti erat Agathocli, praesertim in bellis, quae cum Italiae populis gessit, ut bene sibi animatam fidámque hâuc civitatem teneret.

Festus autem *de Verborum signif. voce* MAMERTINI, in hac historia longe a Diodoro et Polybio discedit. Samnio nimirum peste vexato, oraculo jubente, omnes qui vigesimo ante anno fuerant nati, patria exiisse, atque consedisse in ea Siciliae parte, quae postea *Tauricana* dicta est, i. e. in tractu qui est a fluvio Onobola, *sive*

tamquam socii et amici erant excepti, nocte occisis, urbem occupant, et novus Syracusanis hostis in ipsa Sicilia cervicibus imminet.

Hicetas (*) interea ex summo magistratu poti-

Tauromenio, ubi Peloritana ora desinit, *Cluver. Sic. Ant. lib.* I p. 80. Quum autem bello peterentur Messinenses, ultro eos ab hoste liberaverint Campani. Propterea in civitatem et agrorum societatem recepti, Mamertinorum nomen sensim praevaluerit. Hujus historiae auctorem citat Alfium *in lib.* I *Belli Carthaginiensis.* A Festo non longe abit Strabo VI: 22, *τοσοῦτον δ'ἐπεκράτησαν οἱ Μαμερτῖνοι παρὰ τοῖς Μεσσηνίοις, ὥστ' ἐπὶ ἐκείνους ὑπῆρξεν ἡ πόλις. καλοῦσι δὲ Μαμερτίνους μᾶλλον ἅπαντες αὐτοὺς, καὶ Μεσσηνίους*: nec *Zonar. Chron.* VIII c. 8. *Οἱ Μαμερτῖνοι ἐκ Καμπανίας ποτὲ πρὸς Μεσσήνην ἀποικίαν σταλέμενοι.* His omnibus conjiciatur Messanae simile quid accidisse, quod civitatibus saepe exitiosum fuisse asserit Arist. *Pol.* v. 2 (cf. supra ad p. 60), *στασιωτικὸν δὲ καὶ τὸ μὴ ὁμόφυλον, ἕως ἂν συμπνεύσῃ* Nimirum colonos ex Campanis in civitatem acceptos fuisse a Graecis, quos post urbem a Poenis eversam, ibi collocaverat Dionysius major, *Diod.* XIV: 78. Novos autem conspirasse, et arripuisse hanc occasionem, quum socii sui et amici, immo maximam partem gentiles, per vicina iter facerent. Hinc quoque intelligitur Mamertinos brevi per maximam insulae partem arma sua ferre potuisse. Neque Dio Cass. hac in re praetereuntium Mercenariorum meminit, dicens. *Excerpt. Valesii p.* 389. *Καμπανοὶ .... φρουρεῖν αὐτὴν* [Messanam] *ὑπ' Ἀγαθοκλέους τοῦ ἐν Σικελίᾳ δυναστεύοντος ταχθέντες, σφαγάς τε τῶν ἐπιχωρίων ἐποιήσαντο, καὶ τὴν πόλιν κατέσχον.* De Entella, parvo in Sicilia oppido, simili ratione a Campanis occupata, mentio est ap. *Diod.* XIV: 9: nec eo loco omissum, id fecisse Campanos *πείσαντας τοὺς ἐν τῇ πόλει λαβεῖν ἑαυτοὺς συνοίκους.* A *Livio* IV: 37, eadem fere de Capua narrantur, Samnites autem Capuam cepere, *prius bello fatigatis Etruscis, in societatem urbis agrorumque accepti: deinde festo die, graves somno epulisque incolas veteres novi coloni nocturna caede adorti.*

(*) Hisce forte turbis Hicetas auctoritatem ita con-

tus erat tyrannide, et Syracusarum civitas, servitute denuo oppressa, ad eas redacta erat angustias, ut quae totius fere insulae olim obtinuerat principatum, jam impedire non posset, quo minus hostis socias civitates subigeret, vicinosque agros popularetur. Tandem ipse bello petitur a Phintia, Agrigenti Tyranno, quam inter civitatem et Syracusas saepius potentiae fuerat aemulatio; sed proelio eum Hicetas profligavit. Hic victoria elatus, copias contra Carthaginienses (*) educere

---

firmavit, ut imperium non amplius abdicaverit. In nummis ejus, qui sunt omnes ex auro et elegantis fabricae, cf. *Eckhel Doctr. N. V. p.* I *vol.* I *p.* 263, legitur ΕΠΙ ΙΚΕΤΑ, quae praepositio *ἐπί* nominibus majorum magistratuum, sive Eponymi sint, sin minus, praeponi solet, *Eckhel op l. vol.* IV *p.* 255—262. In *Paus. Eliac.* II: 12, legitur, *μετὰ δὲ τὴν Ἀγαθοκλέους τοῦ πρότερον τυραννήσαντος τελευτὴν Συρακουσίοις αὖθις ἀναπεφύκει τύραννος ὁ Ἱέρων*: quasi inter hos alius Tyrannus non exstitisset, sed parvam ejus in rebus Siculis diligentiam esse, supra monuimus. Tyrannum eum appellat *Diod.* XXII *Ecl.* II, ejusque imperium fuisse dicit *novem annorum*, *ib. Ecl.* VI, qui optime tempus complent inde a morte Agathoclis usque ad annum qui transgressum Pyrrhi in Siciliam antecedit, quo a Thoenone expulsus est Hicetas. Temporis tyrannidis spatium inde computat, quo summum magistratum inierit, ut solet Diodorus, qui iisdem locis sequentium auctor est.

(*) *Excerptor Diod. l.* XXII Ecl. II: *Ἱκέτας δὲ τῇ νίκῃ ἐπαιρόμενος, παρετάξατο πρὸς Καρχηδονίους καὶ λειφθεὶς πολλοὺς στρατιώτας ἀπέβαλε περὶ τὸν Τηρίαν ποταμόν.* Aliam tamen belli causam fuisse, quam e priori victoria ab Hiceta conceptam audaciam et superbiam, neque eum non provocatum adversus Poenos aciem instruxisse, ex reliquis satis liquet. Carthaginienses enim post mortem Agathoclis, *cognitis quae in Sicilia agebantur*, *occasionem totius insulae occupandae datam sibi exis-*

ausus est, sed clade ab iis affectus, Thoenoni (*) Mamei filio, ad sollicitandum populum dedit ansam, atque imperium amisit. (†) Neque Thoenon diu sine aemulatore fuit; nam Sosistratus (§) factione parata, de imperio cum eo contendit, et jam intra miserrimae urbis moenia bellum ardebat.

Dum haec geruntur Mamertini, quo nomine, postquam civibus occisis Messanam occupaverant, compellabantur Agathoclis mercenarii, gens bellicosa et semper in armis, sua castellis praesidiisque munierant, et viribus in dies crescebant. Perque totam insulam (**) vagantes vectigalia ex-

---

timantes, magnis viribus eo trajiciunt, multasque civitates subigunt, *Justin* XXIII *c.* 2. Quousque autem in consilio suo peragendo essent progressi, indicat fluvii mentio ad quem pugnatum est, scilicet ad *Teriam*, proxime ab agro Syracusano fluentem.

(*) Θοίνων, ita scriptum exstat in *Dionys. Excerpt. Peiresc.* p. 540, et ap. *Plut. Pyrrh. c.* 23. in *Diod. Eclogis* appellatur Θυνίων.

(†) Fortasse antequam cum exercitu in urbem redierat. Ita huc referri possent verba Polybii I: 9: θεωρῶν γὰρ τοὺς Συρακουσίους, ἐπειδὰν ἐκπέμψωσι τὰς δυνάμεις καὶ τοὺς ἄρχοντας μετὰ τῶν δυνάμεων, αὐτοὺς ἐν αὑτοῖς στασιάζοντας καὶ καινοτιμοῦντες ἀεί τι. Idem acciderat Callippo, qui Dionem interfecit, Catanam oppugnanti. *Plut. Dion.*, *c.* 58, cf *Diod.* XVI: 36.

(§) Ad hunc non pertinere strategema 37 *lib.* V *Polyaeni* animadversum est supra ad p. 57. Etiam hujus nomen scribendo corrupit Diodori Excerptor in Σώστρατος.

(**) *Plut. Pyrrh. c.* 23. Τῶν δὲ περὶ Μεσσήνην βαρβάρων, Μαμερτίνων δὲ καλουμένων, πολλὰ τοῖς Ἕλλησιν ἐνοχλούντων, ἐνίους δὲ καὶ φόροις πεποιημένων ὑποτελεῖς, πολλῶν δὲ καὶ μαχίμων ὄντων, τοὺς μὲν cet. Idem *c.* 24 dicit eorum decem millia in Italiam transiisse ad praeoccupandum Pyrrhum ex Sicilia trajicientem. Terras suas cas-

torquent, Siculos excursionibus vexant, multosque sibi tributarios reddunt. Syracusis discordia occupatis, reliqui Graeci eis resistere non poterant: nuper autem potentiae suae novum paraverant praesidium, societate cum Carthaginiensibus juncta. (*) Hi tandem antiquissimi simul et potentissimi hostes, numquam erant repulsi, nisi intentis Syracusanorum viribus, iisque sub uno capite conjunctis. Nunc callide utentes eorum dissidiis, totius fere jam insulae domini, Syracusas domestico bello laceratas, terra marique obsessas tenebant.

In his rebus extremis Thoenon et Sosistratus, quorum ambitio patriam pessum dabat, se reconciliant, et conjunctim Pyrrhum arcessunt, cujus magna fama et opinio omnium spem erigebat. Nec eam fefellit. Nam statim Syracusanas factiones (†) composuit, omnibusque comitate sibi adjunctis, civitates Siciliae sponte ad Syracusanorum societatem redierunt. Post haec copias educens omnes

---

tellis munierant: *Diod.* XXII *Ecl.* XV, cf. *Polyb.* I: 8. Excursionibus quousque progressi sint, augurari licet e *Diod. reliquiis* l. XXIII *Ecl.* II: *Μαμερτῖνοι Καμερίναν καὶ Γέλαν ἀναστάτους πεποιηκότες*: immo Agrigentum tentaverant, *Polyb.* I: 43: Ἀλέξων, ὁ *καὶ τοῖς Ἀκραγαντίνοις κατὰ τοὺς ἐπάνω χρόνους αἴτιος γενόμενος τῆς σωτηρίας, καθ' ὃν καιρὸν ἐπεβάλοντο παρασπονδεῖν αὐτοὺς οἱ τῶν Συρακουσίων μισθοφόροι.*

(*) Scilicet ut communi consilio Pyrrhum arcerent a Sicilia: *Diod. ib. Ecl.* IX. Ceterum ditioni Punicae non pepercerant: *Polyb. l. l.*

(†) *Diod. lib.* XXII *Ecl.* XI et XIV *Plut. in vita c.* 22.

summi Imperatoris egregie praestitit virtutes: atque Poenis undique profligatis, quam plurimas in fidem accepit urbes, alias subegit. Inter has fuit Eryx, in altissimo praeruptoque monte sita, et aptis praesidiis munita. Sed oppugnandi difficultas animum auxit. Hac enim urbe capta, quae in media erat Poenorum ditione, separatas haberet hostium copias, interclusamque a Lilybaeo Panormum, alterum eorum in Sicilia caput. Accedebat quod ob victoriam, quam ab Eryce (*) reportaverat Hercules, fama ille locus esset celeberrima. Hinc summa vi oppidum oppugnans, scalis admotis, ipse alta voce Herculeam virtutem invocans, primus muros adscendit, hostiumque cadaveribus circa se coacervatis, solus irruentium vim sustinuit, donec amici eum attingere poterant.

Talis fuit imperator, cujus exemplo et disciplina usus est Hiero: id autem quanto studio fecerit argumento sunt provocatores ab eo victi, et coronae, quas a Pyrrho accepit. Quumque multa hucusque ex illius virtutibus doceri potuisset, vitia, quae exinde (†) in Syracusarum imperio commisit Pyrrhus, ad praemonendum futurum regem non minoris fuerunt utilitatis.

(*) Rem narrat *Diod.* IV: 23. Singularem ad eum locum Pyrrhi virtutem annotarunt *Diod.* et *Plut. ll. ll.*

(†) In his commemorandis satis ampli sunt *Dion. Halic. Ant. Rom. lib.* XIII *Excerpt. Peiresc. p.* 540, et *Zonar.* VIII: 5, qui sua habet e *Dione Cass. Exc. Vatic. Maji tomo* II *p.* 178. Nec eà omisit *Plut. in V. c.* 23.

Una in Sicilia Carthaginiensibus supererat civitas, Lilybaeum, quo omnes, quibus contigerat varias clades effugere, se receperant. Viris igitur repleta, situ erat tutissima, quippe quae ab una tantum parte impugnari poterat, reliquis mari circumdata. Carthaginienses vero, qui Dionysio olim ostenderant (§) quanti hanc urbem facerent, idem quod post haec per decem annos sensere Romani, militibus, frumento et magno belli apparatu trajectis, summa industria eam munivere, atque unico aditu vallis moenibusque obsepto, inexpugnabilem terrestri exercitui reddidere. Pyrrhus igitur, multidudine defensorum et ingenti vi telorum repulsus, multis suorum amissis, nec cuniculis in murum agendis aliquid proficiens, ob saxosam soli naturam, ab obsidione recedere est coactus.

Siculos, levissimum hominum genus, a Pyrrhi societate avertit prima haec fortunae commutatio. Dissensionem auxit diversum illorum et Regis consilium. Siculi enim, contenti si modo insula libera esset a Barbaris, nec praeterea quidquam spectantes, avidissime Lilybaei desiderabant expugnationem. Pyrrhus autem, cupiditate Africae victoriis suis adjiciendae inflammatus, eo traji-

---

(§) *Diod.* xv: 73. De situ Lilybaei *Diod.* in *fragm.* *l.* et *Polyb.* 1: 42.

cere ardebat, sciens Lilybaeum ultro victori esse cessurum, ubi Poeni desiissent maris tenere imperium. Hinc omnem diligentiam in res maritimas contulit, et dum navium idoneum numerum ad manus habebat, nautis vero remigibusque indigebat, hos ex Siculis, quos offenderant jam grandia tributa et vectigalia, severius cogere est aggressus.

Haec fuerunt initia simultatis, quae fructus belli gloriosissimi, quo Carthaginienses inde a moenibus Syracusarum, ad ultimos Siciliae terminos erant repulsi, alter autem hostis, Mamertini, fusi, et intra muros occlusi, brevissimo tempore interire fecit. Pyrrhus enim, repulsa offensus, neque impediri in propositis aequo animo ferens, imperiosius se gerere coepit, et justos magistratus e civitatibus pellens, novos autem, neque civium, neque legitimi temporis habita ratione, ex assentatoribus constituens, omnia ad suum nutum agi voluit. Hinc Siculorum confestim mutata est voluntas, et quem paullo ante magna consensione Regem salutaverant, eundem nunc infestissimum Tyrannum detestantes, vocitabant. Cujus ab importunitate qualecumque refugium quaerentes, aliae (*) Sociarum civitatium ad Poenos, aliae ad Mamertinos deficiebant, quo facto Pyrrhus, cum sua seditionibus ac proditione

(*) *Plutarch. l. l.*

videret perturbata, hostes autem, qui vires refecerant, ad renovandum bellum paratos esse, de insulae imperio desperavit, et vere instante (*), antequam aestas rebus gerendis locum daret, in Italiam aufugit. Feliciorem, atque invenerat, Siciliam non reliquit. Mamertini enim, auxilio (†) ab iis, qui simili perfidia Rhegium occupaverant, aucti, in dies magis erant timendi. Carthaginienses autem, quos nihil eorum, quae in Sicilia agebantur, fugiebat, novos exercitus (§) transmisere ad recuperanda, quibus a Pyrrho erant ejecti.

Nec minus quam reliqua Sicilia, insolentiam Pyrrhi senserant Syracusani. Hic enim ne illustrissimis quidem viris parcens, praeter alios multos in exsilium actos, Thoenonem ad mortem duxit: quem secutus esset Sosistratus, nisi e patria fugiens, instans periculum evitasset. Quod factum eo magis Pyrrho fuit invidiae, quum utriusque maxime auxilio ad regnum Siciliae vocatus esset. Exsules (**) ad Carthaginienses se receperant, et in eorum exercitu contra patriae oppressorem militabant. Post fugam (††) igitur Pyrrhi in patriam rediisse videntur, atque eorum

(*) Cf. Supra *p.* 27.
(†) *Polyb. Lib.* I. *c.* 8, *initio.*
(§) *Dionys. Halic. fragm. laud. fine.*
(**) *Zonar. Chron.* VIII *c.* 6.
(††) Prorsus abrumpitur nexus rerum, in Sicilia actarum, inde a secessu Pyrrhi, usque ad seditionem mi-

ope fortasse Syracusani inducias a Carthaginiensibus impetraverunt, qui, recuperatis quae amiserant, ulterius non progredi in praesentiarum satius duxerunt.

Externo autem periculo sedato, domestica statim discordia (*) de novo efferfescebat. Scilicet imperium Pyrrhi, ut solet tyrannis, principes maxime viros, et optimates presserat; quorum quum perpetuum studium fuerit, ut oligarchiam in patria constituerent, post reditum, rerum utentes perturbatione, populum a Republica removere conati esse videntur. Syracusana vero Plebs, et cum ea exercitus, quanto odio habuerit Paucorum dominationem, ex superioribus exemplis cognoscitur: neque haec seditio multum ab iis,

---

litum, qua Hiero Praeturam consecutus est: quod tamen parvum fuit temporis spatium, sicut supra, p. 28, animadversum est. Conjectura igitur nituntur, quae proxime hinc sequuntur. Inducias fuisse inter Syracusanos et Poenos probabile est, quod Polyb. in narratione de imperio ab Hierone et occupato et munito, plane taceat de Carthaginiensibus. Neque iis, puto, copia fuit in praesenti tempore, aliquid contra Syracusas moliendi, siquidem eorum vires in Sicilia adeo fractae essent a Pyrrho, ut primum satis iis esset recuperata praesidiis firmare, et pristinam vim et auctoritatem per magnam insulae partem restituere. Immo Agrigentum, quod ante Pyrrhum praesidio tenuerant, nunc sollicitavisse non videntur. Solebat autem exercitus Syracusanorum etiam in pace longe ab urbe castra habere; cf. *Diod.* XXI *Ecl.* XII.

(*) *Polybius* obiter tantummodo rem memorat, *lib.* I *c.* 8: *αἱ δυνάμεις τῶν Συρακουσίων διενεχθεῖσαι πρὸς τοὺς ἐν τῇ πόλει.* Reliqua supplevimus ex iis quae antea, et postea quoque, sub Epicyde et Hippocrate, Syracusis acciderunt.

quae post Thrasybulum et Agathoclem civitatem perturbarunt, diversa fuisse videtur. Exarsit primum in exercitu, qui tunc ad Murgantium (*) castra habebat, milite nolente recipere, quos Imperatores constituerat concio Syracusana. Agebat cum iis Hiero, cujus propter virtutem, et propter Pyrrhi benevolentiam, magna erat fama simul et auctoritas. Neque ei aliquid deërat ad captandum militum favorem: flos aetatis, egregia corporis forma, singulares vires, audacia felix; tum, qood tales homines non minimum pellicit, cum dignitate familiaritas, in alloquio comitas, in judiciis cum aequitate moderatio. Milites autem plane rebellantes, ipsi comitia habent, et ex suis Imperatores faciunt Artemidorum (†) et Hieronem.

Talis illi gradus ad Regium imperium fuit: ini-

(*) Codices Polybii habent *Μεργάνην*, quod nomen alibi non legitur; Murgantium, in confinio situm Camporum Leontinorum, (Leontini vero in ditione Syracusauorum erant), saepius in historia Syracusarum occurrit: cf. *Casaub. ad Polyb. l. l.*

(†) *Polyb. l. l.*; ceterum ignoratur. Eamdem forte personam egit quam Hipparinus, qui quum una cum Dionysio Majore in magistratu esset, (*Plut. in Dione*, *c.* 3: *Ἱππαρίνου, πρωτεύσαντος ἀνδρὸς Συρακοσίων, καὶ Διονυσίῳ συνάρξαντος, ὅτε πρῶτον αὐτοκράτωρ ἐπὶ τὸν πόλεμον ᾑρέθη στρατηγός*), collegae ipse auctor erat et adjutor occupandae tyrannidis. *Arist. Pol.* v *c.* 5 . . . . *τοιοῦτοι — ἢ τυραννίδι ἐπιτίθενται αὐτοὶ ἢ κατασκευάζουσιν ἕτερον, ὥσπερ ὁ Ἱππαρῖνος Διονύσιον ἐν Συρακούσαις.* Cf. *de S. — Croix*, *Recherses cet. p.* 129. Eodem modo *Plut. in Dione c.* 30, postquam narraverat, populum Syracusa-

quus certe, licet quaenam illins in movenda hac seditione fuerint partes, non satis constet. At qnocumque tandem consilio turbis se immiscnerit, iis usus est ad se supra modum provehendum, et hoc nomine culpandus, nisi unam hanc erga patriam iniquitatem, egregiis per sexaginta annos emendasset beneficiis.

Hiero, imperio inito, contendit Syracnsas (*), ubi quam plurimi militum factum moleste ferebant; et legibns vim illatam esse indignabantnr. Multos tamen fuisse qui Hieronem non improbarent, vel ei faverent, statim apparebat. Nam amicorum ope urbem est ingressns, et adversariam factionem facile superavit. Tanta autem in his rebus ejus fuit clementia et moderatio, nt omnes uno consensu eum Praetorem constituerint.

Hoc modo justi quaedam species ad rem accessit, invidiamque lenivit magistratus, cujns auctoritas in vi erat armorum et militnm arrogantia. Sed ulterins erat progrediendum, neque haerere in primis gradibus poterat, qui semel instituerat et anctoritatem in Republica sibi vindicare, et hanc auctoritatem conferre ad com-

---

num *αὐτοκράτορας στρατηγοὺς* constituisse Dionem et Megaclem, de Megacle deinde silet, et *cap.* 33 Dionem dicentem facit, si Heraclides crearetur classis Praefectus, *οὐκ ἔτι αὐτοκράτωρ μένειν, ἂν ἄλλος ἡγῆται τῶν κατὰ θάλασσαν.*

(*) *Polyb. l. l. Nicephor. Orat. qualem oporteat esse Regem*, *c.* 4: *Ἱέρων δὲ ὁ Συρακούσιος, καὶ ταῦτα μὴ βουλομένων ἄρξας τῶν Σικελῶν — ἐπιλαβόμενος τῆς ἀρχῆς.*

munem salutem. Nam eo perventum erat, ut ipsi quoque civitati optabilius esset unius imperium (*), quam quae dicebatur libertas: et hoc quidem non ob unam causam.

Primum Carthaginiensibus erat resistendum, hosti potentissimo. Sed praeter crebras seditiones, quae vires Syracusarum exhauriebant, in liberiori Populi potestate consensus et firmitas, in Paucorum imperio desiderabatur fides. Id jam tempora Dionysii ostenderant, sed exinde Poenorum in Sicilia creverat potestas, dum Syracusas discordia exanimabat. Ob ipsam adeo internam quoque conditionem non amplius libertatis nomen ferebat civitas, quae erat oppressa, sive in Populi, sive in Nobilium esset potestate. Qui cedere cogebantur, ipsi hostes alliciebant, et odium, ut fieri solet, contra hostes deponebant pro

---

cet. *Justin* XXIII *c.* 4. *Liv.* XXIV *c.* 4, de Hieronis imperio, *bonis artibus partum, firmatumque regnum.*

(*) Hoc interdum senserant ipsi Syracusani, quod in suum commodum converterant Dionysius quoque, et Agathocles. De illo *Diod.* XIII: 94. τέλος δέ τῶν καθημένων (ἐν ἐκκλησίᾳ) τινὲς ἀνεβόησαν στρατηγὸν αὐτὸν αὐτοκράτορα καθιστάναι, καὶ μὴ περιμένειν, ἄχρις ἂν οἱ πολέμιοι τοῖς τείχεσιν ἐπισείωσι. χρείαν γὰρ ἔχειν τὸ μέγεθος τοῦ πολέμου τοιούτου στρατηγοῦ, δι' οὗ δυνατὸν εἶναι εὐπορεῖν τοῖς πράγμασι· — καὶ πρότερον δὲ Καρχηδονίων τὰς τριάκοντα μυριάδας περὶ τὴν Ἱμέραν νενικῆσθαι στρατηγοῦντος Γέλωνος αὐτοκράτορος. Ταχὺ δὲ — ὁ Διονύσιος ἀπεδείχθη στρατηγὸς αὐτοκράτωρ. Cf. Dionysii junioris dictum ap. *Plut. Apophth.* ὁ μὲν πατὴρ μισουμένης δημοκρατίας ἐπέστη τοῖς πράγμασιν. De Agathocle *Diod.* XIX *c.* 5: στρατηγὸς κατεστάθη καὶ φύλαξ τῆς εἰρήνης, μέχρι ἂν γνησίως ὁμονοήσουσιν οἱ συνεληλυθότες εἰς τὴν πόλιν.

odio in proximos. Denique ob exercitum conductitium, quo carere in magnis et continuis bellis, qnac gerere cogebantur, non poterant Syracusae.[1] In perpetua autem partium contentione nulla idonea erat auctoritas, ad superbiam licentiamque militum comprimendam, qui, quum despectui et odio esse soleant in libera Republica, ipsi oderant et contemnebant cives, et libenter favebant tyrannidi, cujus saevitia non ad eos pertinebat, dum multa ex ea commoda sperare poterant. Quo animo quum affecti essent mercenarii, in periculo semper versabatur civitas, ne illorum auxilio ab hoc vel illo subigeretur, cui magis cordi esset angere suos adjutores, quam civium commoda curare.

Majora igitur erant mala, et nimis inveterata, quam ut minui possent ab incerta ista et arcte definita potentia, qnae relinquebatur magistratui legitimo: qnod si quis tentasset, nihil habuisset qno contra eos, quos offenderat, ipse se tueretur. Imperatoribus, quos altera civium pars justis, ut videtur, comitiis, constituerat, imperium abrogatum erat, quod non placebant militibus, alii aliam ob causam amoverentur. In legibus nullum praesidinm, quas populus pro libidine vel abolebat, vel immntabat: nam id jam dudum plebs putabat (*) esse proprium democratiae,

(*) Quod dicitur apud *Aristot.. Pol.* IV *c.* 4 § 4: *κύριον εἶναι τὸ πλῆθος καὶ μὴ τὸν νόμον· τοῦτο δὲ γίγνεται,*

ut suis scitis sanctissimum quidque et antiquissimum postponeretur. Sub legibus igitur imperanti (†) quum nulla esset securitas, quid restabat, nisi aut de patria desperare, aut supra leges ipsum se extollere, et unicum contra populi levitatem praesidium, tyrannidem, occupare.

Haec omnia secum reputans Hiero, cum intelligeret simulatam istam libertatem nihil aliud esse, nisi viam, qua ineptus quisque, vel improbus, tyrannidem peteret, qualem sextum jam cognoverat, sibi conscius de voluntate, et sentiens vires ad mala coërcenda, fretus denique et confidens facili et felici initio, acceptam potestatem non abdicare, sed summum imperium sibi vindicare statuit. Noque in initiis hisce aliquid erat, quod animum clementem et humanum a tali consilio deterreret. Nam, sive quod variae factiones perpetuis turbis fatigatae, in praesentia acquiescendum esse in Hierone putarent, sive quod prudentia sua effecisset, ut omnes simul de eo bene sperarent, nulla caede (§), neque exsilio opus habuerat ad confirmandum suum ma-

ὅταν τὰ ψηφίσματα κύρια ᾖ, ἀλλὰ μὴ ὁ νόμος. Cf. *Hermann Lehrbuch der Griechischen Staatsalterthümer* § 67.

(†) Hanc ipsam populi levitatem *Polybius* l. l. allegat inter causas, quare imperium matrimonio quoque confirmaverit Hiero.

(§) *Polyb.* VII: 8: *καὶ μὴν οὐκ ἀποκτείνας, οὐ φυγαδεύσας, οὐ λυπήσας οὐδένα τῶν πολιτῶν, δι' αὑτοῦ βασιλεὺς κατέστη.* *Nicephor. l. l.* *οὐδένα τῶν ἀντιμαχομένων καὶ πολεμίων ἐλύπησεν, ἐπιλαβόμενος τῆς ἀρχῆς.*

gistratum, atque ita animos sibi conciliaverat, ut sperare posset, eumdem favorem et facilitatem se consecuturum, etiam si ad majora tenderet. Quum vero aliis Tyrannis, etsi ceterum non inhumanis neque acerbis, difficillimum semper atque crudelitate infame illud fuerit tempus, quo recens potestas, contra leges occupata, firmanda et ab insidiis munienda erat, Hieronis in ipso hoc tempore egregie eluxit sapientia, et verus in patriam amor. Reliqui enim, et in gratiam eorum, quibus ad subjugendam civitatem erant usi, et quandoquidem aliam rationem non habebant, qua adversarios opprimerent, ad bonorum publicationes, et caedes, et exsilia se convertebant, dum Hiero et milites compescere, iisque sine damno civium satisfacere sciebat, et neminem occidendo, neque exsilio, neque ulla molestia afficiendo, consilium ad finem perduxit. Qua ex re magna ad civitatem rediit utilitas. Nam quum ceterae tyrannides praesertim in detrimentum Nobilium ditiorumque (*) susciperentur, hi voluntario plerumque exsilio vexationes et bonorum direptiones effugientes, ipsos se et divitias patriae subducebant. Hunc nemo effugit, qui moderatione et aequitate omnem injuriarum metum detraxit, statimque

(*) Tyranni est τὸ πολεμεῖν τοῖς γνωρίμοις, καὶ διαφθείρειν λάθρα καὶ φανερῶς, καὶ φυγαδεύειν ὡς ἀντιτέχνους καὶ πρὸς τὴν ἀρχὴν ἐμποδίους: Arist. Pol, v c. 7 § 7 cf. *Herm. Lehrbuch d. Gr. Staatsalterth.* § 63.

egregia dedit specimina, fore ut aliquando odiosum tyrannidis nomen, in exoptatissimum regnum esset immutaturus.

Praesidiis quibus recentem potestatem munivit, adjunxit uxoriam conditionem (*). Inter cives enim Syracusanos quum videret Leptinem fide et auctoritate apud populum reliquos superare, cum propter multitudinem (†) eorum, quos sibi obligaverat, tum propter ejus virtutum opinionem, affinitatem cum hoc conjungere quaesivit. Qua affinitate contracta putabat, etiamsi ab urbe cum exercitu abesset, in hoc viro satis fore praesidii, quo tamquam obsessam teneret populi levitatem.

Hac igitur cura liberatus, ac domesticis rebus constitutis, considerans pacem cum Carthaginiensibus (§) valde esse dubiam, eosque semper in

---

(*) *Polyb.* 2: 9. De Leptine, ceterum non memorato, *Casaub. ad. Pol. l. l.* Uxoris Hieronis nomen probabiliter fuisse Philistidem, supra ostendi.

(†) *Polyb.* διαφέροντα τῇ προστασίᾳ, quod *Casaub.* reddidit *clientelas*, animadvertens rem se esse secutum, non verbum, quod significat *patronatus*, et h. l. sumitur *pro potentia, qualis est eorum, qui multis clientelis nituntur.* Eadem res in graeca civitate hisce verbis enunciatur a Nepote, *Alcibiad. c.* 4. » potentior et major » quam privatus existimabatur. Multos enim liberalitate » devinxerat, plures etiam opera forensi suos reddide- » rat. Qua re fiebat ut omnium oculos, quotiescumque » in publicum prodisset, ad se converteret, neque ei » par quisquam in civitate poneretur."

(§) *Zonar.* VIII 7: Hiero τοὺς Καρχηδονίους εὐλαβηθεὶς ἐγκειμένους τῇ Σικελίᾳ, πρὸς τοὺς Ῥωμαίους ἀπέκλινε, καὶ πρώτην χάριν αὐτοῖς τὴν εἰρημένην συμμαχίαν, καὶ τὴν σιτοπομπίαν ἀπένειμε.

insidiis subsidere, ut occasione data, totam subigerent Siciliam, ad externos animum convertit, ac primum quidem ad Italiam, etsi non iisdem consiliis ac superiores Syracusarum Imperatores. Hi enim, quum viderent Siciliam Italiamque, et propter idem mercaturae navigationisque studium, et ob ejusdem maris vicinitatem, mutuamque portuum utilitatem, magni sibi invicem esse momenti, omnes animum et cogitationes ad res Italiae converterant. Dionysius vero et Agathocles (*) perpetuo id spectaverant, ut subactam magnam Graeciam Siculo suo imperio adjungerent. Et opportuna iis fuerant tempora, propter domesticas discordias, et bella quae civitates Italiae inter se gerebant, quibus callide utebantur peritissimi viri (†). Illis temporibus summo semper studio Siculorum consiliis obsti-

---

(*) *Diod.* xiv: 100: δ — *Διονύσιος σπεύδων τῇ κατὰ τὴν νῆσον δυναστείᾳ καὶ τοὺς κατ' Ἰταλίαν Ἕλληνας προσλαβέσθαι.* De Agathoclis in Italiam expeditionibus, multa in fragmentis *Diod. lib.* xxi. *Heeren Ideen, th.* ii, *Carthager p.* 87: *Dionys, so wie seine Nachfolger, vorzüglich Agathoeles, verfolgten, so oft die Umstände es verstatteten, stets denselben Plan, Sicilien, und wo möglich auch das Griechisehen Unter Italien, zu Einem Königreiche zu machen. — Es war weder eine falsehe noeh blos ehrsüehtige Politik, wenn Carthago, um jenen Plan zu hintertreiben, alle seine kräfte aufbot.*

(†) *Polyb.* xv: 35. *Διὸ καὶ Πόπλιον Σκιπίωνά φασι — ἐρωθέντα, τίνας ὑπολαμβάνει πραγματικωτάτους ἄνδρας γεγονέναι, καὶ σὺν νῷ τολμηροτάτους, εἰπεῖν τοὺς περὶ Ἀγαθοκλέα καὶ Διονύσιον τοὺς Σικελιώτας.*

terant Carthaginienses: nuperrime vero arma Romanorum, Pyrrho fugato, extremis Italiae partibus subactis, unumquemque in perpetuum deterrere videbantur, ne quid in Italia quaererent, nisi amicitiam et societatem. Id autem cum spectaret Hiero, Rhegina expeditio gratiam ab Romanis ineundi obtulit occasionem: qua ita usus est, ut simul de Romanis bene mereretur, simul suis commodis optime consuleret. Nimirum adventu Pyrrhi in Italiam, auxilium contra eum a Romanis rogitantes Rhegini, in praesidium acceperant Octavam. Legionem, e colonis Romanorum in Campania conscriptam, qui civibus occisis, ut supra dictum est, urbem sibi servabant. Hac in re adjutores habuerant istos Campanos, qui Messanam tenebant, et firmam inter utrumque (*) populum amicitiam conjunxerat et originis, et sceleris similitudo. Haec autem societas impediebat Hieronem, quo minus perigeret propositum, cum ulciscendi facinus Mamertinorum, tum urbem antiquis, quot superstites essent, civibus, restituendi. Idem autem in eos, qui Rhegium tenebant, parabant Romani, et reliqua Ita-

---

(*) *Polyb.* I: 7. *Dio Cass. Excerpt. Vatic. Maji tom.* II *p.* 170: Ὁ Δέκιος [Praesidiariorum Praefectus], φιλίαν πρὸς Μαμερτίνους ἐσπείσατο, νομίζων αὐτοὺς ἐκ τοῦ ὁμοίου τρόπου τῶν τολμημάτων πιστοτάτους σφίσι συμμάχους ἔσεσθαι. — Carthaginienses frustra urbis expugnationem tentaverant, *Diod.* XXII *Ecl.* IX: item Pyrrhus, *Zonar.* VIII: 6. De auxiliis, ab Hierone Romanis praestitis, *Zonar. ib. c.* 7.

lia pacata, decimo post commissum crimen anno, ultum iverunt sociae civitatis excidium, ignominiamque, qua adsperserant nomen Romanum praesidiarii milites. Missus eo est cum exercitu Genucius Consul, qui impugnavit urbem, sed repulsus, obsidione eam cinxit. Pugnacissimi enim et in bello versatissimi erant hostes, qui, Carthaginiensium copias, et ipsum Pyrrhum fortitur a moenibus propulsaverant. Nunc vero eorum animum stimulabat imprimis desperatio, et audaciter vitam periculis objicere potius ducebant, quam ad certa et crudelia supplicia eam servare. Ob pertinacem igitur urbis defensionem quum in longius traheretur obsidium, jamque exercitus necessariorum inopia laboraret, Hiero, amicitia atque societate cum Romanis contracta, alimentorum copiam, et auxiliares milites ad Consulem misit: quibus nuxiliis aucti et confirmati Romani Rhegium expugnavere.

Statim vero ut Mamertini (*), Rhegio obsesso prohibiti erant ab auxilio sociorum, ad expeditionem contra eos suscipiendam se parabat Hiero: in hoc fortasse non minus agens ex sententia Romanorum. Nam Rhegii erant ex Mamertinis, qui obsessis in urbe defendenda opem praestabant, sed a Romanis pactione (†) quadam interposita,

(*) Cf. supra p. 29.

(†) Zonar. l. l. τοὺς μὲν οὖν Μαμερτίνους τοὺς τὴν Μεσσήνην ἔχοντας, οὓς συμμάχους οἱ ἐν Ῥηγίῳ προσεδέχοντο

sunt adducti, ut socios desererent; quod eo citius fecerunt, quandoquidem sua ab hoste impetu peti cognoscebant (*). Praeter hanc, alia etiam cura ad expeditionem Hieronem incitabat. Potestas ejus, etsi vi occupata, nulli civium pepererat molestiam, atque bonis omnibus jam erat probata: ob eamdem tamen causam invisa ac molesta erat iis ipsis, quorum maxime opera ad summum potentiae pervenerat. Mercenariis enim minime placebant imperii ejus moderatio, justitia, tranquillitas, quibus parum ad se redundabat, neque civium in eum favor et studium, quo suam utilitatem et auctoritatem minui sentiebant. Per quatuor annos continuerat eorum avaritiam, et licentiam, et proclivem ad turbas seditionesque animum; nunc autem videns eos plane a se (†) esse aversos, et ad novas res moliendas paratos, uno ictu malum hoc e civitate tollere statuit. Ad quod perficiendum talia iniit consilia, quae nos ut nimiam crudelitatem et perfidiam jure improbamus,

---

ὁμολογίᾳ διεκρούσαντο, igitur durante obsessione, non post expugnatam urbem, ut *Stuart*. De h. l. cf. *Nieb. Röm. Gesch. th.* III *p.* 633, alteram habens lectionem προσεδήσαντο.

(*) E *Diod. Ecl.* xv *Lib.* XXII apparet, Mamertinos, de adventu Hieronis certiores factos, undecumque copias suas Messanam contraxisse. Idem apparet in Polybii verbis, συνεδιώχθησαν εἰς τὴν πόλιν.

(†) *Polyb. l. l.* συνθεωρῶν τοὺς ἀρχαίους μισθοφόρους καχέκτας ὄντας καὶ κινητικούς, cf. *Casaub. ad. l.* Eodem modo Dionysius partem e mercenariis seditiosam sustulerat, *Diod.* XIV: 72.

sed quae tunc temporis vel e necessitate facile veniam impetrabant, vel etiam tamquam scite et opportune peracta, laudabantur. (*)

Hiero igitur, copiis eductis, (†) Messinensem agrum ex inopinato ingressus, magnum terrorem incussit Mamertinis, quorum copiae hic illic per castella praesidio dispositae, vel aliis ex causis longe inter se discesserant. Nuntio autem de hostili impetu vulgato, magno cum studio omnes Messanam contenderunt, et brevi copias ad Hieronem a suis arcendum contraxerant. Hic igitur ex hostico regressus, varia cepit castella, quippe de quibus praesidia erant deducta. Alia autem vi expugnavit, (§) et praesidiarios in suas copias adscripsit; quorum

(*) *Polyb. ib.* de ipsa hac re loquens, *συντελεσάμενος δὲ τὸ προκείμενον πραγματικῶς.*

(†) *Diod.* XXII *Ecl.* XV, de qua supra p. 10 *seq.*

(§) *Diod. l. l.* ὁ δὲ Ἱέρων ἀπαλλαγεὶς ἐκ τῆς πολεμίας, Μύλας κατὰ κράτος ἑλών. Nomen Mylae rescribere non ausus sum: quod si de urbe non procul a Messana ad mare Tyrrhenum sita, intelligatur, cum reliquis haec Diodori non bene congruere videntur. Hiero enim, qui tantummodo infestare et provocare volebat hostem, conjunctis eorum copiis, statim recessit; in recessu autem nonnulla cepit castella. Si Mylas oppugnasset, ulterius etiam esset progressus, et quidem in locum, ubi facillime ab omni receptu intercludi potuisset. Ex sequentibus etiam colligitur eum Mylas non tenuisse, quum Mamertinos occluderet inter Tauromenium et Tyndarium, non Mylas, quae urbs Messanae est propior. Ceterum Mylae non erant χωρίον, sed πόλις, Diod. XIV: 87: non a parva manu expugnanda, *Thucyd.* III: 90. Forte

erat Ameselum, (*) inter Centuripam et Agyrium situm, castellum munitissimum et idoneo militum numero custoditum. Quo capto munimenta disjecit, agri autem partem Centuripinis, partem Agyrinensibus donavit. Dum in hoc tractu moratur, descendunt Mamertini, neque pugnam amplius evitavit Hiero, quum locum haberet opportunum suis consiliis, ubi Cyamosurus in Simaethum amnem influit. Aciem disponens, equites peditesque quotquot e civibus secum habebat, separatos a ceteris retinuit, simulans se cum his alio loco hostem esse circumventurum; Mercenarios vero promovens, facessere proelium jussit. Hi freti prudentia Imperatoris, pugnam fidenter ineunt, et, etiamsi a multitudine hostium circumiri se vident, fortiter resistunt, exspectantes auxilia et Hieronem, qui, dum

---

Diodorus nomen intelligit, hoc vel alio modo scribendum, castelli cujusdam intra Centuripam et Messinensem terram.

(*) Dubitat *Casaub.* an recte se habeat nominis scriptura, quia non legatur apud *Polyb:* sed hic totam rem omisit, alteram tantummodo expeditionis causam exponens, nempe internecionem Mercenariorum. Ameselum nomen alibi non esse obvium, sed multa in Sicilia oppida et castella uni Diodoro deberi, animadvertit etiam Wessel. ad h. l. Rem parvi momenti libenter memorat *Diod*, quia inde additamentum quoddam accesserat agro Agyrinensi, in qua urbe natus erat. Post hanc rem narratam abrumpitur fragmentum Diodori, cf. supra *p* 11. Deinceps ut videtur, acta sunt, quae narrat Polyb. *l. l.* de Mercenariis.

haec geruntur, inde tuto se recepit, et cives incolumes Syracusas reduxit.

Plane ex sententia res cesserat Hieroni, quum Mamertinos expertus esset simul et infestasset, et cum patriam, tum se ipsum, ab impendenti periculo liberasset. Nunc demum, domi nihil timens, et post Rhegii expugnationem, Romanorum amicitia ab Italia tutus, apertius consilia perficere properavit. Nam reficere volebat labentes Graecorum in Sicilia res, quae in quantum decreverant, optime Pyrrhi indicat judicium. (*) Hic enim, augurans Romanos aliquando et Carthaginienses de Sicilia esse certaturos, de ipsis Siciliensibus ne cogitabat quidem, tamquam de quorum imperio et libertate actum esse censebat. Peregrini erat hoc modo judicare, non Syracusani, qui patriam amabat; nec desperabat Hiero in tantum se restituturum esse Graecorum in Sicilia potentiam, ut aequioribus saltem viribus resisti posset Carthaginiensibus, nisi, quod omnium Siciliensium primum erat votum, plane illi ex insula repellerentur. Suis commodis, et gloriae, et imperio una cum hisce bene consultum foret.

Ne tamen a barbaris praeveniretur, vel ne ipse eos aggrederetur nisi tantis opibus, ut de eventu bene sperari posset, magna agendum erat pruden-

(*) *Plut. Pyrrh. c.* 23 *fine.*

tia; idque fecit Hiero. Nam pacem cum Carthaginiensibus sciebat servare, neque Mamertinos impugnaverat, nisi postquam per quatuor annos (*) a dissidiis et bellis respiraverant Syracusani; in qua expeditione tali usus erat consilio et sapientia, ut omnia quae voluerat, assecutus esset, hostes territos, mercenarios, proximum metum, sublatos, socios confirmatos (†) vel novos comparatos. Nihil tamen aptius ad hos sibi conciliandos, neque efficacius ad erigendum Graecorum animum, esse videbat, quam expellere Mamertinos, (§) et suis civibus restituere Messanam. Quod si perficere posset, non solum optimam gratiam apud cunctum Graecum nomen iniret, sed civitatem etiam, cujus magnum erat momentum, obstrictam sibi teneret,

---

(*) Brevi opes reficiebant Syracusae, si modo quiete utebantur et pace, ut docent quae post Thrasybulum acciderunt, et tempora Timoleontis.

(†) Ut Agyrinenses et Erbitenses, de quibus supra p. 84. Tauromenium quoque in vicinia Messinensis regionis, Mamertinis infestum erat, et fidem cum Syracusanis servabat, *Diod.* XXII Ecl. VIII, XI: et Ecl. XV, Hiero εἶχε πόλιν τὴν Ταυρομενιτῶν.

(§) *Casaub. ad Pol.* I *pag.* 12 *lin.* 16 *observandum*, inquit, *Hieronem qui ad tyrannidem Syracusanorum viam affectabat, opportuno suis inceptis consilio civitatem hoc bello implicuisse: ea namque ad tyrannidem occupandam munitissima est via.* Haec tamen unica causa non erat, nam tyrannidem jam diu occupaverat, et totum se atque potestatem suam in studium et fidem civium commiserat tunc, quum Mercenarios interire passus esset. Majora igitur spectans hoc bellum suscipiebat.

Siculi freti reciperet imperium, atque totam quae ad orientem vergit Siciliae partem, Carthageniensibus opponere posset. Ante omnia autem priscam Syracusanorum bellicam virtutem revocare studebat, et jam audiebantur (*) qui barbaros ex Sicilia pellendos, et agros Graecis esse restituendos dicebant, idemque canebant poëtae, a quibus cum priscis heroibus Achille et Ajace, comparabatur Hiero. Et licet jam diu per Graecorum civitates obtineret mos, ut bella per conductitios milites gererentur, ipsi cives arma non ferrent, et magnas in difficultates (†) illi incurrerent, qui ad militiam cives redigere conarentur, ea tamen res Hieroni facile successit. Armabat igitur cives, (§) eosque multum exercebat: deinde, comparatis cum sociorum, tum mercenariorum ex sua sententia conductorum, idoneis auxiliis, Syracusis cum exercitu movit, et contra Mamertinos bellum suscepit, qui superiori victoria elati, temere et audacter hic illic vagabantur.

Primum hostem e reliquis locis ejicere aggressus est, ad Messanam eos compellere cupiens, et sperans, ad suam societatem accessuras esse illas civitates, quae metu Mamertinorum liberatas

(*) *Theocr. Id.* XVI *vs.* 85 et 74 de quo carmine supra *p.* 15.
(†) Ut Pyrrhus Tarenti: cf. *Niebühr Röm. Gesch. th.* III *pag.* 353.
(§) *Vid. Polyb.* I: 9, cf. *Theocr. Id.* XVI *vs.* 79.

se sentirent. Initium fecit (*) ab oppugnanda Halesa, ad Tyrrhenum mare sita, quam urbem per deditionem recepit. Abacaenini autem et Tyndaritani ultro se dederunt, magnoque studio eum acceperunt; et jam intra angustos fines coactos tenebat Mamertinos. Nam a mari Siculo Tauromenium, a mari Tyrrheno Tyndarium, utraque Messanae proxima civitas, in potestate erat Hieronis. Hinc movens, ad ipsum Messinensem agrum copias deduxit, et castra ad Longanum flumen (†) locavit, peditum habens decem millia, equites mille et quingentos. Hostium exercitus, qui in altera fluminis ripa considebat, peditum erat octies mille, cum idoneo equitum numero. (§) Horum Praetor, Cios, dum hostias Diis immolabat, sciscitatus est Haruspices, quemnam eventum habitura esset pugna? Responderunt, Deos (**) per sacra ostendere, fore ut in

---

(*) Haec et *seqq.* continentur secunda parte fragm. xv libri XXII *Bibliothecae Diodori*. *Polyb. in fine capitis* 9, hujus expeditionis summatim tantummodo meminit.

(†) *Pol.* l. l., καὶ συμβάλλει τοῖς πολεμίοις ἐν τῷ Μυλαίῳ πεδίῳ περὶ τὸν Λογγανὸν καλούμενον ποταμόν. Hoc modo scriptum fluminis nomen legitur in codd. *Polybii*, idque probant VV. DD. *Casaub. Wessel. Cluver.* In fragmentis *Diodori* est Λοίτανος.

(§) In fragmentis Diod. vitiosus numerus legitur μ'. 40, pro quo Casaub. ad Pol. conjicit α vel χ', 1000, assentiente *Wessel. ad Diod.*

(**) Similis historia de Hamilcare Carthaginiensi, Syracusas oppugnante, narratur a *Diod. lib.* xx c. 29, 30.

castris hostium peruoctaret. Quo ostento iu voluntatem accepto, putans se capturum esse Hieronis castra, magno ardore in aciem suas copias produxit, et flumen transire jussit.

Hiero, ut hostem videt descendentem, ad pugnam se parat. Erant in ejus exercitu ducenti fere Messinenses, ex antiquis Messanae civibus, qui effugerant saevitiam Mamertinorum, et in suam urbem erant restituendi; parva manus, sed ardore pugnandi et fortitudiue reliquos superans. His quadringentos alios selectos adjunxit, praecepitque, ut vicinum quemdam collem, cui Thorax nomen, circumirent, et a tergo hostes adorirentur. Reliquas autem copias in aciem structas jubet procedere, et hostem a fronte aggredi. Praemisit equites, qui circa ripam flumiuis pugnam lacessunt, dum acies peditum Syracusanorum ad clivum quemdam, qui juxta fluvium erat, conteudebat; quo praeoccupato, opportuuitate loci Syracusaui praevalentes, proelium committunt. Pari marte per aliquod tempus iu eo loco pugnatur, donec Messiuenses, colle circumito, repente in Mamertinos irrumpunt. Hi vero laboribus et pugna defatigati, recentium et iutegrorum impetum ferre non potuerunt, sed ex omui parte iufestati, dum a fronte, et a latere, et a tergo conficiebantur, terga verterunt, et fugae se commiserunt. Ubique vero quum instarent Syracusani, omnemque exitum intercluderet Longanus flumen, totus

Mamertinorum exercitus (*) ad internecionem ibi trucidatus est. Cios Praetor, cladi suorum superstes esse nolens, et fortissime dimicans, tandem multis plagis vulneratus, concidit, et semianimis a Syracusanis capitur. Quem quum Hiero pro generositate sua in castra duci jussisset, et animum agentem medicis tradidisset, si e vulneribus recreari posset, secundum responsa Haruspicum res eventum habuit: nam in castris hostium noctem degit. Sequenti die, Hierone hostis magnam curam agente, et servare eum humanissime studente, nonnulli venerunt ex Syracusanis, qui equos post proelium exceptos, ad Imperatorem suum adducebant. Cios inter hos agnoscit equum sui filii: qua ex re quum suspicaretur adolescentem interiisse, fasciis avulsis, vulnerumque suturis disruptis, animam edidit.

Nuntio Messanam perlato, una cum Praetore totum exercitum occisum esse, magna exorta est perturbatio, et consilii inopia. Urgente tamen periculo, quum hostis esset proximus, Mamertini de summis rerum plane desperantes, supplices ad Hieronem adire, atque se suosque in illius manus tradere statuebant. Sed aliter evenit res, neque in fatis erat interire civitatem, quae aliquando exercitibus Romanis quasi gradus esset

(*) *Diod. ib : Pol. l. l.*, τροπὴν δὲ ποιήσας αὐτῶν ἰσχυρὰν, καὶ τῶν ἡγεμόνων ἐγκρατὴς γενόμενος ζωγρείᾳ, τὴν μὲν τῶν βαρβάρων κατέπαυσε τόλμαν.

ex Italia ad reliquos orbis populos: inter quos non ultimi fuerunt Carthaginienses, qui tunc eam servabant.

Hi enim, etsi pacem cnm Hierone habebant, non negligenter, nec sine sollicitudine quadam observabant, quae ab eo agebantur. Quo observandi consilio fortasse eorum classis in vicinia versabatur litoris Siciliae: nunc certe erat in statione ad Liparam insulam, qnae in conspectu est Mylarum, in cujus vicinitate pugna commissa erat. Statim vero ut Hannibal, classis Carthaginiensis praefectus, de caede Mamertiuorum certior factus erat, ad castra Syracusana properavit, simulans se salutandi causa venire, ut Hieroni de victoria gratularetur, re autem vera ad aliquid inveniendum, qno privare fructu belli eum posset. Et jure quidem Poenum sollicitabant, quae ab Hierone agi videbat; cujus singularem belli virtutem et gloriae cupiditatem notam habebant Carthaginienses, prudentiam autem et solertiam perspicere incipiebant. Jam exstinxerat enim quae firmissima semper Poenorum socia fuerat, discordiam Graecorum, eorumque animum et audaciam recreaverat; postrema antem victoria magnnm fecerat gradum, ut in pristinum eornm vires restitueret, si una cum Messana haud parvam Siciliae partem et fretum Siculum, in potestatem reciperet. Id vero impedire studebat Hanuibal, et primum artibns snis, fortasse conciliandi simulatione, effecit, ne castra Hiero moveret. Mox

dum quietem hic agit, ipse Messanam se contulit, et Mamertinos, quos paratos inveniebat ad se dedendum, a consilio deterruit, eosque et oratione et auxiliis a desperatione ad fiduciam revocavit. Mannm enim ex suis militibus in urbem deduxit, ut praesidium contra Hieronem Mamertini haberent. Hic autem Punico dolo captus, ab impugnando Messinensi agro recessit; sive quod urbem expugnare se posse desperaret, sive quod pacem cum Carthaginiensibus sollicitare nondum utile putaret.

Magnae tamen haec victoria Graecis fuit laetitiae, qua hostis prostratus erat pugnacissimus, qui per viginti annos fere semper bello fuerat superior, et qua poenas dederat tot caedium, tantorumque in Sicilienses injuriarum. Quo autem major fuerat metus talis hostis, eo magis celebrabatur gloria Hieronis (*), cujus in tantum

(*) *Polyb. l. l. Diod.* ἐπανῆλθε εἰς Συρακούσας περιβόητον εὐημερίαν περιπεποιημένος. Hisce verbis clauditur altera pars fragmenti xv, in quibus, si integra erant, idem forte legeretur, quod de regno oblato narrat *Polyb.* Verum est quod observat *Casaub. ad Pol. h. l*, Hieronem in pugnae descriptione a compilatore Diodori nomine Regis insigniri; sed negligentiae compilatoris hoc imputandum erit. Eodem modo in *Eclogis libri* xxi, Agathocles saepissime appellatur βασιλεὺς, quod nullibi facit ipse *Diod.* nisi lib: xx: 54, ἑαυτὸν ἀνηγόρευσε βασιλέα. Etsi hic titulus interdum obviam venit minus accurate appositus, ut in *Herod.* vii: 161, ubi Gelo compellatur βασιλεύς, diu antequam Rex constitutus erat, Diodorus tamen hac in re est accuratissimus.

crescebat apud omnes favor et exspectatio, ut reversus Syracusas, a sociis non minus quam a civibus, Rex salutaretur. Cui regni honos sponte a Syracusanis tribuebatur, Post Gelonem secundus erat Hiero: inter quos magna hac in re similitudo intercedebat. Utrumque enim nulla re, nisi virtutum opinione illustrem, dissidia et Reipublicae afflicta conditio ad summos honores evexerunt. Auctoritatem vero ambo confirmaverunt eo, quod nulli factioni nimium tribuerent, imprimis autem Nobiliores contra populum (*) defenderent. Deinde, quum prudenti rerum procuratione, magnam apud omnes gratiam iniissent, utrumque praeclara et optatissima victoria ad inusitatam regiam dignitatem pervenire fecit. In his diversi, quod post Gelonem in regno constitutum, placidissima secuta sint tempora (†), quibus gloria et fortuna quiete frui licebat, otiumque habebat ad salutem civium augendam, at Hiero in difficillima statim tempora periculisque plena inciderit. Quare si illustrior fuerit Gelonis apud Himeram victoria, in reliquis contra tanto magis elucere potuit prudentia Hieronis,

---

(*) *Arist. Pol.* v c. 8 § 2, Ἡ μὲν γὰρ βασιλεία πρὸς βοήθειαν τὴν ἀπὸ τοῦ δήμου τοῖς ἐπιεικέσι γέγονε. Etiam priscus Hiero ex mente Optimatium regnabat, et Rex eo sensu appellandus. Titulum autem nec justo modo, nec voluntaria civium oblatione consecutus est.

(†) *Diod.* xi: 23, 38.

quanto difficilius est labentem civitatem sustinere, quam ejusdem civitatis juvenilibus viribus uti.

Carthaginienses, qui jam maximam insulae partem tenebant, rebus apud Mamertinos gestis iterum, quid vellent, ostenderant. In Romanis parvam esse spem non latebat sagacissimum rerum moderatorem, quem imprimis proxima bella, quibus reliquas post bellum Tarentinum Italiae civitates subegerant, poterant docere, Romanorum belli societatem non minus esse ancipitem, quam ipsum hostem, quippe qui jam studio tenerentur, ut imperium quam plurimum possent, augerent. At hrevi quoque omnem dubitationem tollebant ipsi Romani.

Hiero consilium de Mamertinis opprimendis non mutaverat (*), et tandem paratus erat ad novam expeditionem suscipiendam, etiam ultima ausurus, si Carthaginienses conatus suos iterum impedire

---

(*) Haec iterum fere conjectura nituntur. Est haec expeditio tertia, unde historiam rerum circa Messanam gestarum, incipit Zonar. VIII: 8, *Οἱ Μαμερτῖνοι — τότε ὑπὸ Ἱέρωνος πολιορκούμενοι, ἐπεκαλέσαντο τοὺς Ῥωμαίους — κἀκεῖνοι ἐπικουρῆσαι αὐτοῖς ἐψηφίσαντο — οὐ ταχέως αὐτοῖς ἐπεκούρησαν — ὅθεν ἀνάγκῃ πιεζόμενοι οἱ Μαμερτῖνοι, Καρχηδονίους ἐπεκαλέσαντο.* Haec enim obsidio eadem esse nequit atque illa expeditio, cujus memoria exstat in *Diod. fragm.* XV, quia tunc de Romanis non cogitavere Mamertini, sed ad deditionem erant parati. *Polyb.* autem, *c.* 10, ad ipsum bellum festinans, annos inter pugnam ad Longanum, et legationem Mamertinorum ad Romanos omittens, haec statim sibi invicem annexuit, quippe quum ista clades praecipua causa esset, quare defendere se Mamertini non possent.

niterentur. Mamertini vero se reficere ex superiori clade non potnerant, sentiebantque nullam libertatis spem sibi relinqui: attamen, licet hac in re convenirent, ut quam maxime timerent in Graecorum manus venire, de reliquis valde inter se dissentiebant. Maxima pars omnem spem ponendam esse censebat in patrocinio Romanorum, et primum haec sententia praevaluit, ita ut legati missi sint Romam, qui se et oppidum Romanis dederent, peterentque ut opem sibi ferrent tamquam popularibus, (*) et communi ex Italia origine cognatis. Interea vero Carthaginienses magno studio auxilia offerebant, et Hiero cum exercitu ad urbem obsidendam accedebat. Hinc altera factio, quae Carthaginiensibus favebat, commemorans promptum auxilium ab Hannibale paullo ante latum,

---

(*) *Zon. c.* 8 οἷα σφίσι προσήκοντας *Polyb. c.* 10. Fecerunt id fortasse non minus invitati a nonnullis Romanorum; nam crescente populi potestate crescebat studium per fas et nefas imperii augendi, quod frustra Senatus reprimere conabatur, quandoquidem Imperatores bellicosi populum excitabant. *Pol. c.* 11. *Niebühr Röm. Gesch. th* III p. 660. Italia igitur subacta, etiamsi nulla aemulatio vel metus Carthaginiensium fuisset, propter situm jam de Sicilia primum cogitare debebant. Propterea societas Romanorum cum Hierone adeo suspecta erat Carthaginiensibus, ut hanc societatem praetextum belli allegavisse dicantur apud *Zonar. c.* 8., Σκήψεις δὲ τοῦ πολέμου ἐγένοντο — Καρχηδονίοις, ὅτι φιλίαν Ῥωμαῖοι συνέθεντο τῷ Ἱέρωνι. Sed quum Romani viderent Hieronem non illum esse, ut illius opera auctoritatem quamdam in Sicilia consequerentur, promptiorem viam elegerunt, sed injustissimam, Mamertinorum defensionem.

urgente periculo, suam sententiam pertulerunt, et Hanno, Punicarum copiarum in Sicilia Praefectus, in urbem receptus est. Haec tamen non movebant Hieronem ut ab obsidione recederet: sed postquam certior factus erat de iis, quae Romae agebantur, Hannone ei persuadente brevi fore, ut Romani in Siciliae res descenderent, nisi communi consilio iis resisteretur, pacem cum eo (*) et cum Mamertinis conciliavit: qua pace confirmata, factio inter Mamertinos Romana opprimebatur. Carthaginiensibus mandatum est ut fretum custodirent: Hiero copias Syracusas deduxit.

Romae autem ut (†) innotuerunt quae legati Mamertinorum renuntiaverant, populus, qui inde a Gelonis temporibus (§) Siciliae noverat fer-

---

(*) *Zonar. ib.*, Carthaginienses *καὶ τοῖς ἑαυτοῖς καὶ τοῖς ἐπικαλεσαμένοις εἰρήνην κατεπράξαντο πρὸς Ἱέρωνα, ἵνα μὴ οἱ Ῥωμαῖοι ἐς τὴν νῆσον περαιωθῶσι.*

(†) *Polyb.* I: 10. *Zonar. l. l.*

(§) *Liv.* II: 34: *M. Minucio et A. Sempronio Coss. magna vis frumenti ex Sicilia advecta.* Id, ut gratiam apud Romanos iniret, dono datum esse a Gelone, memoriae prodidit *Dionys. Halic. lib.* VII: ibidem addit: *τύραννοι δὲ τότε κατὰ πόλεις μὲν ἦσαν, ἐπιφανέστατος δὲ Γέλων.* Ob haec verba reprehenditur a *Niebührio*, *vol.* II *p.* 110 *not.*, qui dicit reliqnas Siciliae magnas civitates, non minus quam Syracusas, eo tempore fuisse liberas. Fieri potest Agrigentum tunc tyranno caruisse, etsi post Phalarin Alcmenes et Alcander ibi regnarunt, (*Heracl. Pont. Polit. num.* 36), et circa haec tempora imperium obtinuit Theron: at Gela in potestate erat Gelonis. Haec autem tunc temporis sine dubio erat potentissima in insula civitas, cujus regnator Hip-

tilitatem et omnium rerum abundantiam, novam victoriarum praedarumque spem libenter accipiebat, nisi Senatus, verecundans odiosam cum sceleratis hominibus societatem, ne statim auxilia Messanam mitti decerneretur, impedire studuisset. Sed paullo post re accuratius cognita, quum viderent Romani diutius contra Hieronem urbem non esse defendendam, sed Carthaginienses, potentissimam civitatem, quae non minus quam ipsi Romani imperium suum continuo augere studebat, jam praesidii nomine Messanam tenere, auxilium ferre non prorsus repudiabat Senatus, sed differendo rem trahebat. Nam timendum erat, ne brevi tota freti ora reliquis, quae in Sicilia Poeni possidebant, accederet; quo proxime peri-

---

pocrates (ab anno a. Chr. 498–491), inter alias Naxum, Zanclen, Leontinos, quae Jonicae erant urbes, et mercaturae operam dabant, sub suam potestatem redegerat, *Herod.* VII: 154. Hippocrati paullo ante Consules citatos successerat Gelo, qui acceptam imperii majestatem strenue servabat. Syracusanorum autem Resp. brevi ante ab Hippocrate gravi clade affecta, et continuis seditionibus infirma, nondum erat magni momenti, donec Gelo, animadvertens Syracusarum situs opportonitatem, hegemoniam Gela illuc transtulit. Optimo jure igitur *Dionysius* ἐπιφανέστατον appellavit Gelae tyrannum, qui occasionem augendae mercaturae civitatium, quas sub imperio habebat, non omisisse, et hunc in finem Romae, ceterum ignotae civitatis, legatos bene accepisse, verisimilitudini non repugnat. Eodem consilio Dionysius Romanorum legatos, ad frumentum mercandum in Siciliam dimissos, benigne adjuvit. *Liv.* IV: 52, cf. *Niebühr. l. l.*, et noster quoque Hiero, qui saepius frumentum ad Romanos, in Aegyptum, et Rhodum misit.

culum Italiae immineret. Tandem populus, contritas suas res novo bello restituere sperans, et incitatus a Consulibus, qui novam gloriae viam quaeritabant, pertulit plebiscitum, quo Mamertinis auxilium ferre decretum est. Consulum alter Appius Claudius, vir in consiliis audax, et promptus in agendo, jussus est defendere Mamertinos, et Messanam transire.

Hic, dum ipse forte (*) cum collega Fulvio morabatur ad Vulsinium, cum qua urbe bellum erat, vel quod in conscribendo exercitu occupatus erat, praemisit C. Claudium, (†) Tri-

(*) Ita *Niebühr.* Fortasse ipsum Consulem mittere non statim decrevit Senatus, sed tentare voluit, num res sine bello ad finem perduci posset, ita tamen ut sociam civitatem in Sicilia haberent.

(†) *Zonar.* VIII: 8. Hic impigerrimus et solertissimus Appii Claudii Cos. legatus fere ignoraretur, nisi *Zonaras* et *Dionis Fragmenta* a *Majo* in Vaticano collecta, (*tom.* II *p.* 179 seq.), nomen servassent, ejusque facta accurate distinguissent a factis ipsius Consulis. *Polybius* enim, in introductione rem non nisi summatim tangens, de Tribuno nihil. Eodem modo alii, quae per Legatum gessit Appius, ipsi vindicavere Consuli, ut *Flor.* II: 2: *populus Romanus — Appio Claudio Cos. primum fretum ingressus est, fabulosis infame monstris, aestuque violentum, sed adeo non est exterritus, ut illam ipsam ruentis aestus violentiam pro munere amplecteretur.* Haec non ad Consulem spectant, qui nocte trajecit, sed ad Tribunum, cf. *Zonar. c.* 9. *Casaub. ad Polyb.* hujus narrationem contra Zonaram defendit, et Tribunum prius transnavigasse, negat, imprimis quia Consul e trajectione ista cognomen *Caudicis* meruerit, *Suet.* III: 2. Sed praeterquam quod jure Imperatori tribuuntur, quae sub auspiciis ejus per Legatos gesta sunt, apud *Zonaram* exponitur, quanta audacia postea Appius etiam fretum cum toto exercitu transgressus sit.

bunum M., qui cum navigiis aliquot Rhegium pervenit. Nihil tamen hostile suscipere audebat, nam Poenorum classis fretum occupaverat, omnemque transitum intercludebat. Ipse igitur piscatoria navi Messanam trajecit, et multa locutus est de oppressione, qua invitos Mamertinos Poeni tenebant: cives in Romanorum societatem esse receptos, neque horum esse ut socios suos opprimi paterentur. Quum tamen Carthaginienses utique superiores essent, infectis rebus recessit, sed novum animum adventus ejus dederat iis, qui Romanos arcessere cupiebant. Iterum fretum transgressus, suam factionem ita confirmatam reliquit Claudius, ut cum armatis in Siciliam transire tentaverit; sed a Carthaginiensium classe repulsus, aliquot ex Romanorum navibus vel captis, vel submersis, praeterea tempestate subito oborta, non sine magno periculo in portum Rhegii rediit. Messanae tamen audacia Tribuni et segnities Hannonis in tantum excitaverant Mamerti-

---

Ipsum Consulem non statim venisse, sed alium praemisisse, e *Diodori* quoque fragmentis apparet, nam antequam Hiero et Hanno Messanam oppugnatum profecti sunt, miserunt ad Romanos, ut e Sicilia recederent; postea, dum urbs obsidebatur, Appius Cos. demum Rhegium venit: *lib.* XXIII *Ecl.* II. Sed ex ipso *Polybio* idem conficitur, qui in *cap.* 11 § 4 dicit, Mamertinos Poenorum praefectum arce ejecisse, *τὸν δ' Ἄππιον ἐπεσπῶντο, καὶ τούτῳ τὴν πόλιν ἐνεχείριζον*; deinde Afri et Hiero ad obsidendam urbem venerunt. Tunc demum, § 9, Appius nocte fretum trajecit: alium igitur praemisit, per quem urbem in deditionem accepit.

nos, qui a parte stabant Romanorum, ut Hanno, urbem non diutius sibi tutam esse putans, se et milites receperit in arcem, (*) quam a sua factione traditam acceperat, et ab omni de re publica actione abstinuerit: donec Claudius, observans tempestatem et aquarum fluxum, quibus Poenorum naves transitum prohibere non poterant, Messanam cum una legione (†) pervenit. Tunc autem Hanno in urbem descendens, et in concione rem suam contra Claudium defendens, insigni Romanorum perfidia comprehensus, et in carcerem conjectus est: e quo non est egressus, nisi ubi omnes Carthaginienses ex arce et urbe deduxit. Infelix homo (§), cruci affixus, imprudentiae et inertiae poenas persolvit: Claudius

(*) *Polyb. c.* 12: altera factio ἐπὶ Καρχηδονίους κατέφευγον, *καὶ τούτοις ἐνεχείριζον σφᾶς αὐτοὺς καὶ τὴν ἄκραν.* Praesidium Punicum contra Hieronem non statim in arcem receptum est, ut *Niebühr. p.* 660, sed deinde eo se contulerat, ut facilius Romanam factionem reprimeret, et ut refugium haberet, si haeç superior evaderet: *Zonar. c.* 9.

(†) *Aurel. Vict.* l. l., *Rhegium regressus — legionem in Siciliam transduxit. Carthaginienses Messana expulit.* Hinc etiam confirmatur ista de Tribuno dici, nam Consul trajecit *μετὰ δυνάμεως ἁδρᾶς*, *Diod. Ecl. cit.*, nimirum cum exercitu consulari, quo Hieronem et deinde Carthaginienses acie vicit.

(§) Hic est primus Hanno, post Hannibalem, qui Hieronem post pugnam ad Longanum fraudibus circumvenit, provinciam Siciliam administrans. Segnities ejus pro parte excusari potest e manifesta suorum voluntate, ut pax servaretur, quapropter inter alia captas naves Claudio remisit, *Zonar. et Dio ll. ll;* ita tamen ut Romani Sicilia abstinerent.

Trib. Mamertinos, eorumque urbem, in fidem accipiebat, atque hoc modo Romani primam extra Italiam civitatem occupavere.

Interea Romanorum decretum, quo Mamertinis auxilium ferre statuebatur, omnes Siculorum rationes mutaverat. Carthaginienses, qui per ducentos fere annos de imperio Siciliae certaverant, tandemque in eo erant, ut tot laborum ac sumtuum fructus recepturos esse sperare possent, novum aemulum praevidentes, copias ad bellum parabant, et sentiebant Mamertinos, quos defendere simulaverant, omnibus viribus ex insula esse ejiciendos. Hiero facile intelligebat, si Romani Siciliam aggrederentur, non aliter actum fore de Siculorum libertate, atque Italorum, quos omnes sub imperium redactos tenebant; eademque reliquorum graecorum erat sententia, qui alias omnes curas huic Romanorum metui postponebant. Statim igitur ut Romani fretum transierant, et Messana pulsi erant Carthaginienses, hi cum Hierone in colloquium veniebant, (*) et primum societatem inibant ad Mamertinos communibus viribus impugnandos, et ex Sicilia expellendos.

Brevi post Hanno, (†) Hannibalis filius, quem

(*) Tertia pars *fragmenti* xv ex *libro* xxii *Diod. Zonar. c.* 8.

(†) *Diod.* xxiii *Ecl.* ii. Alter hic Hanno, Hannibalis filius, cujus nomen etiam profert *Polybius. Casaub. ad Pol.* et *Wessel. ad Diod.* hunc cum superiore, quem morte Poeni mulctarunt, confundunt.

Imperatorem Respublica Carthaginiensium in Siciliam mittebat, Lilybaeum applicuit, et statim Agrigentinos in belli societatem accepit, (*) eorumque arcem communivit. Contractis copiis, ad Soluntem castra posuit, ubi legati Hieronis convenere, qui consulerent de iis, quae in praesentia essent agenda. Constituunt legatos mittere ad Claudium cum his mandatis, *ut intra certum diem Messana ac tota insula recedat.* Quibus si dicto audientes non essent Romani, Hiero et Hanno conjunctis viribus, Messanam aggrederentur. E quo pacto, nam Claudius negabat se recessurum esse, Rex et Poenorum Imperator castra movere, et oppugnatum Messanam profecti sunt.

Sita est haec urbs in ora maritima plana, quae circumdatur montium jugo, cui Neptunius no-

(*) *Diod. l. l.:* [Ἄννων] *παρελθὼν εἰς τὴν Ἀκράγαντα, τὴν ἄκραν ἐτείχισε, πείσας τὸν δῆμον, φίλον ὄντα συμμαχῆσαι Καρχηδονίοις.* Nunc igitur Poenorum ditioni iterum accedebat Agrigentum, quae civitas post Pyrrhi victorias libera mansisse videtur. Late autem Agrigentinorum imperium propagaverat Phintias Tyrannus, repressns demum ab Hiceta Syracusano prope Hyblam Minorem, s. Heraeam. Septemtrionalem autem insulae oram Poeni possidebant usque ad Thermas, nam Alaesa Mamertinorum erat, et capta ab Hierone, *Diod.* XXII *Ecl.* XV. Hoc modo vere *Pausan. Eliac.* II c. 12: *Ῥωμαίων δὲ περὶ Σικελίας ἐς τὸν πρὸς Καρχηδονίους πόλεμον καταστάντων, εἶχον μὲν οἱ Καρχηδόνιοι τῆς νήσου πλέον ἢ ἥμισυ.* Poeni autem Agrigentum, opportune sibi situm, statim eorum, quae in Sicilia possidebant, fecere capnt, *Polyb. c.* 17.

men. Ad septemtrionem, ubi idem mons in Pelorum promontorinm desinit, vocatur Peloritanus; hinc Senes vel Eunes (*) nomen accipit; a meridie dicitur Chalcidiens, post qnem Taurns mons incipit. In Chalcidico monte, qui est admodum praeceps et situ tutissimus, castra metatus est Hiero; Poenus in Senibus montibus consedit; a Peloro urbem includebat classis Carthaginiensium, quae simul observabat, ne mari aliquid ad urbem veheretur. Hoc modo putabant se intra parvnm tempns Messanam, Romanorumque in ea praesidium, non minus inopia (†) necessariorum, quam armis ad deditionem redacturos esse. Sed iterum Carthaginienses decepit suarum opum opinio, et ignorantia virtutis Romanorum.

Ut Romam allatnm est hostes ad oppugnandum Messanam accedere, Consul, expleto excercitu, Rhegium contendit (§). Inde, quasi adhuc bellum evitari potuisset, ad Hieronem et Carthagi-

(*) De scriptura nominis non constat, cf. *Casaub.* et *Wessel. ad ll. ll.*

(†) *Zonar l. l. Diod.* συνεχῶς δ' ἐπολιόρκουν i. e. *continuo, cohaerenter:* ap. *Polyb.* πανταχόθεν ἐνεργῶς προσηρεικότας. Videntur autem Socii non ita magno impetu urbem oppugnavisse, sed eam assidua obsidione ad deditionem cogere voluisse. Hinc situs castrorum, longius ab urbe et a se invicem distantium, unde fortasse explicandum, quod Carthaginienses Hieroni non subvenerint. Propterea quoque Hiero τοῖς φρουρίοις τοῖς κειμένοις κατὰ τῆς τῶν Μεσσηνίων χώρας praesidia imposuerat: *Polyb. ex Philin. Lib.* 1: 15.

(§) *Diod.* XXIII *Ecl.* II, *Zonar. c.* 9.

nienses legatos misit, (*) qui juberent, ut ab obsidione recederent. Separatim autem adirent Hieronem, eique nuntiarent: se eum bello (†) non esse aggressurum, immo Romanos velle, ut pax cum Rege servaretur, sed miseria permotos auxilia Mamertinis promisisse, nec fidem esse solvendam. Bello igitur abstineret Hiero, et amicitiam semel cum Romanis initam, fidemque servaret. Appius autem propositum, ut a societate Carthaginiensium Hieronem alienaret, minime est assecutus. Nam respondit Hiero: *Mamertinos Camerinam et Gelam diruisse, Messanam autem atroci impietate occupasse: propterea justam esse belli causam. Non esse Romanorum, qui multum fidei nomen jactabant,*

(*) Hucusque *Zonaras* et *Polybius* revera non dissentiunt, sed hoc loco diversa narrant. *Polyb.* enim dicit Appium Messanam appulisse, ibique per aliquod tempus obsidionem tolerasse, deinde legatos misisse, tunc demum copias eduxisse, et cum Hierone pugnam commisisse. *Casaubonus* a partibus stat *Polybii: apud Zonaram*, inquit, *ex auctoribus nescio quibus, omnia aliter narrantur.* Habet sua *Zonaras* e *Dione*, qui majore diligentia in his versatus est, quam *Polybius* ea exponere sibi proposuerat. Quae e *Diodori* reliquiis exarari possunt, cum *Zonara* conveniunt. In *Philino* quoque legerat *Polyb.*, I: 15., Romanos, postquam Messanam pervenerant, statim aciem contra Syracusanos disposuisse. Eodem modo *Florus* II: 2, *fretum ingressus est — statimque ac sine mora Hieronem vicit.*

(†) Tale quid Hieroni legatos nunciasse; ex responsione liquet ap. *Diod. Ecl. l.:* cujus fragmenti, etsi depravati, sententiam optime vestigavisse *Casaub. ad Pol. p.* 146, probat *Wessel. ad. Diod. l. l.*

auxilium ferre sceleratis, qui omnium maxime fidem violassent. Quodsi in gratiam istorum bellum susciperent, omnes intellecturos, Romanos, dum avaritiam praetextu misericordiae afflictorum celarent, revera Siciliae cupiditate captos, bellum suscepisse.

Consul igitur, neque enim apud Carthaginienses (*) aliquid processerat legatio, de trajiciendo cogitabat, etsi omnem transitum prorsus intercludere videretur classis Afrorum. Quo modo enim Messanae portum attingeret, in vicinitate Pelori, ubi praecipua Punicarum navium erat statio, situm, et eo diligentius custoditum, quod Appium in hunc portum introitum experturum esse, hostes credebant. E regione urbis Rhegii erat Chalcidicus mons, e quo Messanam versus ora maritima plana est, quae recto cursu peti poterat; sed illuc appellere naves non solebant. Hoc tamen tentare ausus est Consul, et suos multis verbis exhortatus, (†) legiones et equites mercatorias naves conscendere jussit, et noctis tenebris, quae in ea terrarum parte admodum sunt profundae, adjutus, navigare coepit. Cursum autem in oppositam Rhegio freti oram dirigens, hostibus elusis, naves ad littus appli-

(*) *Polyb. c.* 11.
(†) *Dio Cass. ap. Maj. tom.* II *p.* 181. De Equitibus *Liv. Epitom. lib.* XVI. De navibus, quibus transfretavere, *Polyb.* I. *c.* 20.

cuit; et non procul a castris Hieronis (*) egressus, statim ad pugnam milites disposuit. Id enim non unicum audaciae suae fructum esse videbat, quod transitum perfecisset; sed quum longo intervallo hostium castra essent divisa, Consul alteri eorum parti, iisque inopinata re perturbatis, conjunctas suas copias opponeret.

Ut dies illuxit Hiero, nil tale opinatus, instructam hostium aciem in littore adspexit. Quo adspectu, quamvis aliquid de Carthaginiensibus suspicaretur, tamen non dubitavit (†) cum Romanis decernere, et promptissime in aciem Syracusanos produxit. Neque hi sine ardore in planitiem descenderunt, imprimisque equites fortiter in hostem irruebant, ita ut eorum impetum non sustinuerint equites Romanorum, sed ad cedendum sint coacti. Eadem fortuna non usae sunt copiae pedestres; nam non modo Legiones Romanae iis restiterunt, sed brevi quoque cladem Equitum repararunt. Postquam igitur diu erat pugnatum, nullo ex Afris subveniente, copias suas Rex in castra reduxit (§). Consul Syracu-

---

(*) *Zonar. l. l.*

(†) *Polyb. l. l.*, *ἑτοίμως εἰς τὸν ἀγῶνα συγκαταβάντος — βασιλέως.* Equitatum ejus adversarios fugasse *Zonar.*, diu pugnatum esse *Polyb.* narrat.

(§) Triplex de pugnae eventu traditio: Poeni, quorum interpres *Philinus* est *ap. Polyb. c.* 15, narrabant, Hieronem non una clade illo die affecisse Romanos, eosque Messanam fugasse; deinde inconsiderate et nullam ob causam subito castra movisse: sine dubio

sanos ad vallum usque prosequebatur: deinde, mortuis, in signum se superiorem e proelio discessisse, spoliatis, Messanam est ingressus.

Hieronem autem non una cura sollicitabat. Nam vix credibile erat Romanos cum parvis navigiis per medias hostium bellicas naves transire ausuros fuisse, vel perficere id potuisse, nisi ab ipsis Carthaginiensibus, semper ad dolum et fraudem paratis, adjuti essent. Quorum ab astutia (*) et fallaci animo non alienum videbatur, quod socium atque amicum, quem tamen non

---

ita rem exponentes, ut excusarent quod auxilio non venissent, scilicet, quia auxilio non opus erat. Graecorum est apud *Diod.* in *Ecl.* IV *lib.* XXIII: Hieroni in suspicionem venisse Afros transitum prodidisse, et propterea Syracusas rediisse. Pugnae mentionem Excerptor omisit, unde non sequitur Diodorum nihil de ea scripsisse, sed potius pugnae eventum non permovisse Hieronem ut castra moveret, suspicionem vero de proditione praecipuam foisse caosam quare abierit: contra Carthaginienses clade sua coactos foisse ad obsidionem omittendam. Tertia sententia Romanorum est, quorum antiquissimos de his rebus historicus, Fabius, stodio suorum ductos jam pleraqoe pervertit: *Polyb.* I: 15. Posteriores igitur scribere non dubitarunt, insignem de Hieronc victoriam reportasse Appium, ut *Flor.* II: 2, qoem exscripsit *Oros.* IV: 7. *Aurel. Vict.*, qui omnia turbat, *Hieronem proelio apud Syracusas in deditionem accepit.* Moderatioribus verbis usus est *Polyb.*, et quasi dubitare quis de victoria posset, addit: Ἄππιος — σκυλεύσας τοὺς νεκροὺς ἐπανῆλθε. De equitum clade silet. Castra Syracusanorum Consul non petivit, et inopinatus ei nuntius de Hieronis recessu veniebat.

(*) Perfidiae Carthaginiensiom erga socios et mercenarios exempla plura sunt: hujus simillimum ap. *Front.* III: 16 *ex.* 3, cf. *Diod.* XXIII *Ecl.* IX.

minus quam infestissimum adversarium perdere cupiebant, cum communi hoste confligere paterentur, ut, dum ipsi salvi essent et incolumes, duplicem victoriae fructum reportarent. Hanc proditionis suspicionem haud parum augere debebat, quod auxilio non venissent Poeni: id enim si fecissent, omnino Romanos trajectionis poenituisset. Praeterea non modo audaciam Romanorum, sed eorum virtutem et certandi peritiam expertus erat, et persuasum habebat, etiam si sine dolo agerent Carthaginienses, Messanam a talibus defensam, expugnari non posse. Quum igitur diutius morari inutile duceret et temerarium, eadem nocte castra movit, (*) praesidiisque de circumjacentibus castellis deductis, Syracusas cum exercitu rediit.

Hoc modo quae consilia Rex fortis et generosus, de potentia ac gloria Graecorum in insula restituenda, inierat, irrita conciderunt. Exitum autem habebat vaticinium Pyrrhi, et incipiebat Sicilia virium palaestra esse duorum potentissimorum populorum. Quod tamen praevidere hic non potuerat, Graecum nomen in acerrimo isto certamine non prorsus interiturum, sed multis eorum salutem ac libertatem servatum iri,

---

(*) *Polyb.*, *Diod.*, *Zonar.*, *Philin.* ap. *Polyb.* c. 15: — *ὥστε — παραχρῆμα τὸν χάρακα καὶ τὰς σκηνὰς ἐμπρήσαντα φυγεῖν — καὶ τὰ φρούρια πάντα καταλιπεῖν τὰ κείμενα κατὰ τῆς τῶν Μεσσηνίων χώρας.*

id unius viri sapientiae ac consilio tribui debet.

Hiero igitur, quum videret Romanos, semel in insula admissos, non regressuros esse, nisi magnis opibus repressos; Carthaginienses autem, etsi maris imperio et divitiis ad bellum peregrinum multo paratiores, prudentia tamen, virtute, industriaque inferiores esse adversariis, cujusnam partes in sequentibus amplecteretur nondum decernere, sed paullisper morari statuebat, ne in tanta re inconsideratius judicaret. Exercitum autem, si sua impugnarentur, accinctum habebat; quo brevi uti debuit. Appius enim castra Carthaginiensium in Senibus montibus adortus, (*) tantum terrorem injecerat hostibus, ut in munitos locos confugientes, cum Romanis instructa acie non amplius decernere auderent. Consul igitur, praesidio Messanae relicto, agros sociorum Hieronis invasit, eosque, nemine in campo resistente, impune rapiebat et vastabat. Echetlam (†) quoque oppidum, in media Syra-

(*) *Zonar.*, *Polyb.*, *Diod.*, *Dionis fragmenta ap. Maj. p.* 181. *Philinus* etiam a Poenis superatum fuisse Appium, scripto mandaverat, *ap. Pol.* l l.

(†) Χωρίον fuisse ὀχυρὸν docemur a *Diod.* xx: 32. Oppidum hoc impugnavisse Appium e Philino servavit *Pol. c.* 15, quo eventu, non meminit. Addit Polyb.: *ἐν μέσῃ κειμένην τῇ τῶν Συρακουσίων καὶ Καρχηδονίων ἐπαρχίᾳ*: quibus verbis nil indicare voluit, nisi procul a Messana in media hostium ditione situm fuisse hoc castellum. Apud *Diod. l. l. Ecl.* iv haec leguntur: Καρχηδονίων δὲ πολεμησάντων, καὶ ἡττηθέντων, τὴν Αἴγεσταν ὁ ὕπατος

cusanorum et Afrorum ditione situm, adortus est, eaque expugnata, praesidiarios in suum exercitum adscripsit. Quibus rebus non magis quam subito Regis a Chalcidico recessu, audacior, prope ipsas Syracusas (*) castra posuit, quasi in urbem impetum facturus: a quo consilio tamen statim eum deterruerunt locorum aspectus, et opes Syracusanorum, cum quibus saepe varia fortuna pugnavit. Hiero autem, qui nolebat nimis exasperare Romanos, ne eos ad pacem et amicitiam, si reconciliare se cum iis vellet, redderet difficiliores, contentus erat suis defendendis, hostique parcebat, etsi Consuli erat superior,

---

ἐπολιόρκησε, καὶ στρατιώτας πολλοὺς ἀπολαβὼν εἰς Μεσσήνην ἀπέζευξεν. De Aegesta, quae et Segesta et Egesta, (posterior scribendi ratio est *Diodori* et *Thucydidis;* qui has Eclogas conflavit Αἴγεσταν scribit, *lib.* XXI *Ecl.* XII, *lib.* XXIII *Ecl.* VII): de hac urbe, inquam, quae sequenti anno in fidem Romanis se dedit, h. l. cogitari non posse, quivis videt: Ἐχέτλαν fortasse scripserat *Diod.* Ultima verba, post hanc cladem statim Messanam rediisse Consulem, refutantur narratione satis cohaerente *Zonarae.*

(*) *Pol. l. l.*, τὸ δὲ τελευταῖον, προσκαθίσας, αὐτὰς ἐπεβάλετο πολιορκεῖν τὰς Συρακούσας. Eodem modo *Philin. ap. Pol.* c. 15. *Zonaras*, de Sociis et Echetla silens, πρὸς τὰς Συρακούσας καὶ τὸν Ἱέρωνα ἐτράπετο, — καὶ προσέβαλέ τε αὐτὸς τῷ ἄστει, κἀκεῖνοι ποτε ἐπεξῄεσαν· καὶ ὅτε μὲν ἐκράτουν, ὅτε δ' ἐκρατοῦντο ἑκάτεροι. ' Impetum autem in ipsam urbem non obsidionis nomine insigniendum esse vel inde patet, quod Consulis exercitus a Rege cingi potuisset. Universe Hieronem in his superiorem fuisse Romanis, e Zonara liquet, quod Romani scriptores, ut solent, perverterunt. Eadem fere ratione de hisce judicat *Niebühr*, *Th.* III *p.* 665.

qui nullis subsidiis et procul a suis remotus, in hostico oberrabat. Nec Regem, consilii quod semel inierat semper tenacissimum, sollicitare potuit occasio, consulem cum toto exercitu capiendi. Appius scilicet exercitum in iniquum locum duxerat, et angustiis clausus in eo erat, ut undique ab hoste cingeretur. Hoc periculo nuntium ad Hieronem misit, quasi iterum de pace agere vellet. Rex autem vicissim aliquem misit; cum quo dum Consul loquebatur, incolumes evadere Romanos non impedivit. Intelligebat enim de summa rerum nihil hac una victoria decerni, sibi autem non satis esse virium ut Romanorum sustineret impetum, si ultum venirent. Praeterea consul, quum commeatu et reliquis omnibus a Rege prohiberetur, exercitum inopia et morbis laborantem, (*) subito Messanam deducere coactus est. Hiero vestigiis sequebatur, sed propositi memor, parum eum urgebat, ita ut Syracusani cum iis Romanorum, qui postremi vel separatim veniebant, saepius colloquerentur. Consul igitur tot periculis elapsus, in Italiam rediit, et de Carthaginiensibus, deque Hierone Rege triumphum egit, (†) magis audacia et fortuna, quam prudentia et magnis rebus meritum.

(*) *Zonar. l. l.*: cujus inopiae meminit quoque *Pol. c.* 16, eamque inter causas recenset, quare conditiones Hieronis facilius acceperint Romani.

(†) *Eutrop.* III: 18. *Sil. Ital. Pun. lib.* VI.

Quae de Sicilia (*) Romam renuntiabant Appius ejusque milites, excitabant Romanos ad bellum majoribus etiam viribus persequendum; et tota Italia pacata, utrumque cum exercitibus Consulem in Siciliam misere. Faciles horum et prosperi successus; quibus non parum adjuvit Siculorum conditio. Pleraeque jam diu libertatem ignoraverant Siciliae civitates, quae nunc Poenis, nunc Syracusanis, interdum Agrigentinis, postremo Mamertinis quoque obedientes, ab omnibus autem superbe et avare tractatae, omnem de communi Siciliae gloria vel utilitate sensum perdiderant. Quum viribus carerent ut ipsae se contra majores copias defenderent, neque aliquid amitterent, si dominum mutarent, ad quemcumque victorem deficere solebant; et plus semel una victoria (†) maximam Siciliae partem victori

(*) *Pol. c.* 16.

(†) Exempla passim, ut pugna ad Himeram, *Diod.* XIX: 110, Pyrrhi adventus alia. Contrarium hujus rei experti erant Athenienses, et Carthaginienses, ubi, Hannibale et Himilcone ducibus, coepti sunt partem Siciliae armis subjugare. Fuerant omnino antiqui Siciliae incolae graviores, et causae, quam semel susceperant, tenaciores; sed imperio Dionysii et Agathoclis, eorumque dissidiis cum ipsis Graecis de hegemonia, nec minus atrocibus bellis, quae summa contentione cum Afris gesta erant, consumptae erant vires minorum civitatium, quin et potentiores, ut Selinus, Himera, Gela, Leontini ad nihilum erant redactae. Praeterea in mediterraneo quam plurima oppida erant priscorum insulae indigenarum, quorum fides semper dubia: cf. *Diod.* XIII: 4, 59, XIV: 48, XVI: 73.

conciliabat. Accedebat levitas Siculorum, et magna de armis Romanis exspectatio, ita ut post unum parvum oppidum, Adranum, captum, ad Consules ex sexaginta septem (*) civitatibus legati venerint, qui pacem flagitarent, deditionemque sui facerent. His autem in fidem acceptis, earumque copiis suo exercitui adjunctis, Consules idem consilium, quod Appii fuerat, sequentes, Syracusas tendebant, ut pacarent Hieronem, (†) dum Carthaginienses in munitis locis se tenentes, progressibus Romanorum non impedirent.

Hieroni igitur diutius deliberandi copia non erat, sed vel pax erat concilianda, vel, si foedera cum Carthaginiensibus servaret, omnibus viribus Romanis resistere debebat. Ab hoc multa eum dehortabantur, imprimis inertia Carthaginiensium, qua ne iterum socium suum proderent, timendum videbatur. Metus (§) autem, quem reliquis Siculis injecerant Romani, non minus invaserat Syracusanos, qui aegre ferebant quod adversus fortissimos homines ducerentur,

(*) *Diod. Ecl. v. Eutrop.* II: 19, *Tauromenitani, Catinenses et praeterea* 50 *civitates in fidem acceptae sunt. Polyb. c.* 16, αἱ πλείους πόλεις προσετίθεντο Ῥωμαίοις

(†) *Diod. l. l.*, οἱ δὲ σπεύδοντες πρὸς μόνους Καρχηδονίους διαπολεμεῖν.

(§) *Polyb. l. l.*, ὁ δὲ Ἱέρων θεωρῶν τὴν διατροπὴν καὶ κατάπληξιν τῶν Σικελιωτῶν. *Diod. Ecl.* v, ὁρῶν δὲ τοὺς Συρακουσίους ἀγανακτοῦντας.

a quibus nullas injurias passi erant, dum causam defenderent eorum, qui per longum tempus acerbissimi hostes fuerant. Sed Hieronem non judicare modo de praesentibus oportebat, sed quam accuratissime conjicere de futuris: nisi enim eorum eligeret societatem, qui victores ex hoc certamine discederent, nullum dubium, quin una cum imperio suo omnium in insula Graecorum libertas interiret. Optime autem Poenorum cognoscebat immensas opes, quibus clades suas celeriter reparabant. Socii illis in ipsa Africa fortes et multi: pecuniis, non modo ex Hispania et vicinis insulis, sed e Gallia, quin ex ipsa Italia quot milites vellent, conducebant. Saepius si initio belli (*) minus fuerant alacres, propterea tantum cunctati esse videbantur, ut eo certius hostem reprimerent. Mari omnia valebant, et rerum nauticarum peritia, et classium numero praestantiaque; dum Romani (†) navis bellicae vix notitiam habebant, et ad fretum transeundum, praeter sociorum mercatorias naves, tamquam informibus caudicibus erant usi. Sed majorem tamen spem ponendam esse in rebus Romanorum, eosque prudentia, virtute, industria omnes difficultates superaturos, atque imperium in Sicilia constituturos esse, divinavit, adeoque, et sibi et civibus suis tutiorem fo-

(*) Ut in bello Dionysii cum Himilcone, *Diod.* XIV: 54; et saepe, quia auxilia e longinquis terris comparabant.
(†) *Polyb.* I, 208.

re (*) quam Carthaginis Romae societatem, verissime judicavit. Multum ad id consilium valuit, quod magno honore habuerit populum, qui reliquis omnibus antecellere fortitudine videbatur. Nulla enim iis temporibus virtus tantis in laudibus erat, aut magis omnium admirationem movebat, quam in armis praestantia: neque in bellis aestimandis causae aequitatem, sed eventum spectare solebant. Jam Pyrrhus eo nomine hostem suum laudibus ornaverat, et saepe ab eo Hiero Romanorum virtutes celebrari audiverat. Aliae eorum virtutes erant, quas magni faciebat et ipse colebat Rex: studium laboris, contemptum luxuriae, cultus vestitusque parsimoniam et gravitatem, propter quas benignius de Romanis, quam de Carthaginiensibus sentiebat.

Statim igitur ut post longam deliberationem hanc sententiam amplexus erat, legatos ad Consules misit, (†) ut de conditionibus tractarent, antequam cum ipsis Syracusanis ad manum veniretur, et dum liberum adhuc ejus consilium videri

---

(*) *Pausan. El.* II: 12, *μετὰ δὲ οὐ πολὺ δυνάμει τε εἶναι νομίζων τὰ Ῥωμαίων ἐχυρώτερα καὶ βεβαιότερα ἅμα ἐς φιλίαν.*

(†) *Polyb.*, *Diod.*, *Zonar.*, *ll. ll.* Romani scriptores rem hoc modo expositam, non satis gloriosam nomini Romano putarunt. *Eutrop.* II: 19, — *contra Hieronem bellum patratum est. Is cum omni nobilitate Syracusarum pacem a Romanis impetravit. Oros.* IV: 7, *Rex etiam fractis viribus, amissaque fiducia, cum pacem supplex rogaret*, cet. *Aurel. Vict.* de Appio: *Hieronem — in deditionem accepit.*

posset. Nam etiamsi copiarum numero inferior esset, quam ut Romanis instructa acie resisteret, tamen defendere se post moenia urbis poterat, quae saepius a majoribus copiis impugnata, invicta hucusque fuerant. Carthaginienses autem, quorum apparatus in dies crescebant, tandem inertia deposita, ad auxilium Socii classe accedebant.

Admodum laeti (*) hi legati venere Romanis, qui cupiditate flagrabant cum solis Carthaginiensibus decernendi, et putabant sibi inferiores futuros esse hostes, si a potentissimo sociorum desererentur. Quum vero Syracusae praecipuum essent Siciliae emporium, liberari quoque putabant se timore, ne, ut superiori anno Appius, (†) exercitus laboraret inopia frumenti, quod mari advehi prohibebant classes Carthaginiensium. Facile igitur de legibus pacis conveniebant (§), primae quae fic-

---

(*) *Diod. Lib.* XXIII *Ecl.* V: Legatos Romani, *σπεύδοντες πρὸς μόνους Καρχηδονίους διαπολεμεῖν, ἀσμένως ὑπήκουσαν. Zonar. c.* 9: *καὶ ὁ Ἱέρων — διεκηρυκεύσατο — καὶ ἔτυχεν ἐπὶ τούτοις σπονδῶν οἱ γὰρ Ὕπατοι ῥᾷον μετ' αὐτοῦ καταστρέψασθαι τοὺς Καρχηδονίους ἐνόμισαν.*

(†) *Polyb. c.* 16.

(§) Has admodum duras fuisse, significat *Nieb. R. G. th.* III. *p.* 666 *seq. Aber die gelegene Anerbietung des Friedens milderte die Bedingungen kaum. Die kleine Zahl von Städten, in deren Besiz Hiero namentlich bestätigd ward, machte, auszerdem entfernten Tauromenium nur eine kleine reiche Landschaft um Syrakusä her, den südlichsten Winkel der Insel, aus: weit mehrere hatte dieser unglückliche Feldzug seinem Scepter entrissen, die ein früherer, durch jede Rücksicht gebotener*

bant cum Principe extra Italiam post bellum gestum. Erant fere hujus modi: ***quas urbes Siciliae***

Friede ihm erhalten haben würde. Postremis respondendnm est, Hieronem primum omnia expertum esse, utrum arceri ab insula Romani possent. Postquam hac de re desperabat, optio inter Carthaginienses et Romanos non erat facienda, antequam suspicari poterat, a cujusnam parte staret victoria; quam fortasse non reportassent Romani, si Siculi fidem servassent, et Poeni ab initio acrius egissent.

Pacis conditiones, quas ab Hierone propositas, a Romanis antem laete acceptas fuisse, Zonaras et Diodorus significant, integrae apud nullum auctorem inveniuntur. Primam, quam posuimus pacis partem, profert *Zonaras: διεκηρυκεύσατο σφίσι τὰς πόλεις τε ἃς ἀφῄρηντο, ἀποδιδούς.* Civitates, quae sub Agathocle fuerant, post illins mortem, perturbatione Reip. Syracusanae usae sunt, nt eorum societati se snbstraherent, ita ut adventn Pyrrhi ne Leontini quidem sub Syracnsis essent, nam regebantur ab Heraclide, qui urbem et milites snos Pyrrbo tradidit: *Diod.* XXII *Ecl.* XI. Post Pyrrbum in pristinnm statum redibant. Ad snos igitur fere fines redacta erat Syracusarum civitas, quando Hiero imperium obtinebat. Postea et fama moderationis, et expeditionibus, nrbes aliquot in suam potestatem, vel societatem redegit; *Diod.* XXII *Ecl.* XV: quae tamen non constituebant partem regni Syracusani, sed Hieronis, tamquam potentioris civitatis principis, hegemonia utebantur. Hoc modo definitur potestas Regis Agathoclis in *Diod.* XIX: 71, *τὰς πόλεις αὐτονόμους εἶναι, τὴν ἡγεμονίαν ἐχόντων Συρακουσίων*, et hoc titnlo Agathocli obediebant *σύμμαχοι*, et milites contribnebant: *ibid. c.* 72. Harum igitur hegemoniam, qunm defendere eas non posset, Romanis concessit. Regnum vero Syracusanum intactum mansisse, vel anctum etiam esse nobili nrbe Tauromenio, ex alia conditionum parte apparet, servata a *Diod. Ecl.* V: *κυριεύειν —— Συρακουσίων καὶ τῶν ὑπ' αὐτῶν πόλεων, Ἀκρῶν, Λεοντίνων, Μεγαρέων, Αἰλώρων, Νεαιτίνων, Ταυρομενίων*: Romanos *liberum illi imperium relicturos in Syracusanos et omnes civitates, quae Syracusanis solitae parere*, nt *Casaub.* locum vertit *ad Polyb. c.* 16. Cf. *Wessel.* ad *locum Diod.*, *et Cluver. Sic. Ant. lib. p.* 353 et 357.

vel deditione vel armis occupavissent Romani, eas Hiero concederet, praeter Tauromenium, quod sub imperium Regis rediret. Captivos sine pretio (*) *redderet Romanis. Argenti talenta centum* (†) *solveret; praeterea quotannis subsidia praestaret* (§). *Libere Hiero imperaret Syracusanis et oppidis, quae in eorum ditione sunt, Leontinis, Megarae, Acrae, Neëto, Eloro, quibus accederet Tauromeni-*

(*) *Polyb. Diodor. Zonar.*

(†) *Polyb.* ἀργυρίου δὲ προσθεῖναι τάλαντα τούτοις ἑκατόν. Hunc conditionum articulum, qnia unicus erat. quo inferiorem se esse profitebatur Hiero, nou omisere Epitomatores Romani, etsi de reliquis tacent. *Eutrop*, l. l.: *deditque argenti talenta ducenta*, *Oros.* l. l. *ducentis argenti talentis jussu Consulum multatus;* excerpentes haec ex aliis, qui 100 talenta non satis pretii esse putabant, et propterea duplo majus feceruut. *Diodorus* summam imminuit, δραχμῶν ιέ μυριάδας, vel, quod probabilius est, numerus corruptus est, cf. *Casaub. ad Polyb. Niebühr p.* 728 putat, haec 25 talenta fuisse tributum, quod quotannis promisit Hiero, sed verbornm sensus obstat, συνέθεντο εἰρήνην — λαβόντες δραχμῶν. — Nou mnlta sunt centum talenta, sed Romani pecunia nondum abundabant, qui paulo demnm ante uti coeperaut argento: *Liv. Epitom. libri* xv.

(§) Solus *Zonaras*, cujus verba ad pecnniam snpra memoratam, respicere non videntnr; nam de reliquis loqnitur tamquam statim peractis, πόλεις ἀποδιδοὺς, et αἰχμαλώτους ἐλευθερῶν, addit vero καὶ χρήματα ὑπισχνούμενος, i. e. in posterum. Idem *capite* 16, de renovata pace, Romani προσαφῆκαν ὅσα παρ' αὐτοῦ ἐπετίως ἐλάμβανον; nec tamen de pecuuia sumenda sunt, qnum reliqni omnes, etiam auctores Latini, de argenti aunuo tribnto taceant. Intelligit forte *Zonaras*, vel *Dio C.*, subsidia, qnae societatis nomine procurabat, ut frnmentum, qnod alii etiam in Sicilia socii praestabant. *Polyb.* 1: 52, *fine*.

um. (*) *Romanorum Syracusani essent socii et amici.* (†) *Si has conditiones ratas esse vel-*

(*) *Diod. Ecl. l.* Urbs in monte Tauro, primum a Siculis fundata anno, a. C. 395, *Diod.* xiv: 59; situ tutissima, frustra a Dionysio obsessa *ib. c.* 88. Postea incolae a Carthaginiensibus proditi, loco cesserunt, *c.* 96, ibique Dionysius collocavit mercenarios, quibus maximam fidem habebat; nam locus erat et terrestri imperio et navigationi opportunus. Circiter annum 358, tempore quo Dion bellum in alterum Dionysium parabat, Andromachus, pater Timaei, eumdem locum, sive a mercenariis illis desertum, sive foedere ei concessum, occupavit cum iis civibus, qui 50 annis ante a Dionysio Naxo pulsi fuerant, et urbem condidit, quae celeriter augebatur, et cujus cives divitiis florebant: *Diod.* xvi: 7. Sequentibus temporibus, semper favit rebus Syracusanis. Timoleontem benigne excepit, et subsidiis confirmavit, *ib. c.* 68. Agathocles cives, sibi inimicos, amovit, *id.* xix: 102. Pyrrhus ad eam applicuit, *Lib.* xxii: *Ecl.* xi. Hieroni quoque addicta, *ib. Ecl.* xv. Fortasse postquam Pyrrhus abierat, arctius se Syracusanis adjunxerat: xxiii *Ecl.* v. Inter civitates, quae Valerio et Otacilio Coss. se dederant, fuit Tauromenium, *Eutrop.* iii. Nunc eam civitatem et portum, prope freti introitum sitam, ab Hierone stipulari passi sunt Romani, qua stationem tutam et opportunam in Italiam navigantibus Rex acquirebat.

(†) Igitur belli societatem suscepit: unde, *Polyb. c.* 17, videbant Carthaginienses, Hieronem sibi factum esse hostem. Tamen magnum numerum armatorum in exercitum Romanorum misisse non videtur. Numquam illius auxiliarium mentio fit, contra *Zonar.* c. 10, dicit, Hieronem initio segniter adjuvisse, donec frumenta mittebat. Praecipue igitur, ut modo diximus, subsidia frumentaria pollicitus est. Ab his diversa sunt cibariorum, machinarum bellicarum, similiumque donationes, quae apud auctores variis temporibus memorantur: nam haec erant extraordinaria, et supra justum e foedere modum data; et talia donare etiam post pacem renovatam perrexit Hiero. — Romani autem Hieronem ab omni injuria defenderent, ut apparet e pacis legi-

let Populus Romanus, inter hos et Hieronem Regem in XV *annos pacem futuram.* (*)

Conditiones haud ignominiosae Hieroni, quibus integrum regnum Syracusanum manebat, Leontinorum urbis possessio, saepe antea interrupta, confirmabatur, Tauromenium adjungebatur. Praeterea ipsos Romanos imperii incolumitatis vindicatores haberet. Quae ipse societatis nomine, tribuere debebat, propter civium divitias, et accuratam pecuniarum administrationem, parum difficultatis pariebant; ita ut plura saepe praestiterit, quam e pacto debuisset. Cives autem, quorum agri imprimis Romanorum incursionibus patebant, a molestissimo bello liberabat, eorumque navigationi portus Italiae denuo aperiebat. Praeterea hac pace iis summam securitatem ac quietem vindicavit, qua usi sunt tam diu, quam ab ejus consiliis non discesserunt.

---

bus, quas postea Poenis dederunt, *Polyb. c.* 16, *ὑποστείλας ἑαυτὸν ὑπὸ τὴν Ῥωμαίων σκέπην — ἀδεῶς ἐβασίλευε.* Niebühr p. 728, explicans varia jura sociorum populi Romani, dicit, Syracusanam civitatem sub Romanorum Senatu fuisse, et Hieronem non nisi nomine regnavisse; ad haec tempora nimis inconsiderate transferens, quae postea, aucta Romanorum potestate, acciderunt. Hiero Carthaginiensibus auxiliabatur, et salvos esse cupiebat, ut sibi contra Romanos munimento essent. Idem partim spectabant amicitiae, quas cum plurimis exteris civitatibus agebat.

(*) *Diod. συνέθεντο εἰρήνην ἔτη πεντεκαίδεκα*, quae confirmantur a *Zonara*, qui abhinc quinto et decimo anno, societatis conditiones mutatas esse annotavit, *cap.* 16.

Statim ut foederis (*) conditiones Romam perlatae erant, populus eas confirmavit: et tanta erat hujus pacis exspectatio, et fama de potentia Hieronis, ut, hoc pacato, dimidiam belli partem confectam esse putarent, statuerentque posthac duas tantum legiones in Siciliam mittere. Carthaginienses vero, quorum classis (†) in auxilium Hieronis profecta, post nuncium, bellum Romanos inter et Syracusanos patratum esse, redierat, videntes Hieronem sibi factum esse hostem, undecumque milites conducentes, summo studio ad bellum se parabant. Interea autem Hannibal, eorum in Sicilia Praetor, majores copias exspectans, patiebatur Consules ad extremas insulae partes arma proferre, et omnes fere civitates, quas praesidium Punicum in officio manere non cogebat, ad novam dominationem deficere. Quas poterat, defendebat, et imprimis Agrigenti magnos belli apparatus faciebat.

Sed ipsum illud Poenorum in Sicilia caput, egregie munitum, et magnis copiis defensum, omnibus viribus impugnare aggressi sunt sequentis anni Consules: ad quem locum quum etiam alter hostium exercitus, Hannone duce ex Africa transvectus, concurreret, in

---

(*) *Polyb. c.* 17. Consilium autem de dimidio exercitu in Siciliam mittendo, non scitum esse videtur, quum paullo post idem *Polyb.* scribat, ambos sequentis anni Consules in Siciliam venisse *μετὰ τῶν στρατοπέδων*.

(†) *Polyb. c.* 17. *Diod Ecl.* v, vi, vii. *Zonar.* c. 19.

magno discrimine Siciliae imperium circa Agrigentum versabatur. Nam si inde Consules nulla re gesta recedere cogerentur, iterum Carthaginiensibus tota insula pateret. Romani tamen id facere jam statuerant, et, obsidendarum magnarum urbium non valde periti, atque fame et peste laborantes, de expugnatione desperabant. Tunc autem Hiero, qualem se socium praestaret, indicavit, et videns fore, ut isto recessu statim Syracusanorum agri ab exercitu hostili peterentur, magna industria machinas et sufficientem (*) frumenti copiam, aliaque necessaria, ad castra Romana misit; quibus Consules confirmati, tandem urbem cepere. Post quam victoriam aperte Romani statuerunt, (†) quod ab initio divinaverat Hiero, bello non abstinere, antequam totam insulam e manibus Carthaginiensium eripuissent. Eodem modo Sociis suis opitulari per totum bellum perrexit Hiero. Post Duillii ex Sicilia abitum, minus procedebant eorum res in hac insula. Hamilcar strenue imperio praeerat, et multas urbes sub imperium Carthaginiense redegerat: in his Camarinam. Atilius Cos., postquam Mytistratum, quod oppidum Carthaginienses, post longissimam et plus semel interruptam obsidionem, sponte reliquerant, ceperat, Camarinam recipere aggressus

(*) *Zonar.* c. 10. *Polyb.* c. 18, *fine.*
(†) *Polyb.* c. 22.

est, neque expugnare (*) potuisset, nisi machinae Hieronis, muris concussis, urbem intrandi copiam fecisseut.

Alio modo humanitatis et amicitiae erga Romanos praestandae, occasionem dedit maximum illud post hominum memoriam naufragium, quod decimo belli anno fecit ditissima classis, sub Servio Fulvio et Aemilio Paullo Coss. ex Africa reverteus. Qua horrenda tempestate, ducentas octoginta quatuor uaves maris aestus ad scopulos, et saxosum Siciliae littus, confregit, ita ut tota Camarineusis ora usque ad Pachynum promontorium, corporibus tabulisque navium esset tecta. Tunc Hiero, quaecumque poterat, praestitit; (†) miseros vestimeutis alimentisque sublevavit: ueque quievit humanissima ejus cura, nisi postquam salvos eos Messauam, ubi superstites colligebantur, conduxerat. Statim post hanc calamitatem, Carthalo, Poenorum Imperator, Agrigentum expuguavit, et periculum erat, ne prorsus laberentur Romanorum in Sicilia res, nisi fides aliorum sociorum et Hierouis, eas sustinuisset.

Naufragio tempestate iterato, a nova classe aedificauda deterriti sunt Romaui. At Hiero, qui semper ea suppeditabat, quibus maxime indige-

(*) *Diod.* Ecl. IX.
(†) *Diod. Ecl.* XIV, *p.* 505; cf. *Pol. c.* 38 n. 7.

bant Socii, naves largitus est, (*) quibus Aurelius Cos. Liparam insulam, saepius a Romanis frustra tentatam, cepit. Quod eo optatius accidebat, quo minus prospere circa hoc tempus rem gerebant Romani. Post haec pugnata est clara ad Panormum pugna, qua ad internecionem occisus est Carthaginiensium exercitus, qui, reliquis fere Siciliae locis (†) relictis, Lilybaeum concurrerunt, ibique obsideri ab hostibus coepti sunt. Sed eodem adhuc anno, obsidione parum procedente, et exercitu morbis inopiaque frumenti laborante, ab urbe recedere coactus fuisset Consul, nisi Hiero (§) magnam tritici copiam misisset, et ad persequendam obsidionem Romanos confirmasset.

Praeter haec magnum commodum Romanis praebebat Syracusarum (§) portus, qui, ut opportunus Lilybaeum navigantibus, ita diligentia Hieronis munitissimus erat. Ibi Junius Paullus Cos, non diu postquam Claudius collega magno proelio fugatus erat a classe Poenorum, naves suas colligebat, (**) et frumentum a sociis e mediterraneo exactum, eo conferri curabat; quibuscum ad exercitum, qui Lilybaeum obsidebat, cursum

---

(*) *Zonar. c.* 14; cf. *Pol. c.* 39.

(†) *Diod.* XXIV Ecl. 1 *init.*, *Polyb. c.* 41: πάσης δὲ τῆς ἄλλης Σικελίας ἐπικρατεῖν Ῥωμαίους, πλὴν Δρεπάνων, nimirum, quando Lilybaeum obsidere incipiebant.

(§) *Diod. ibid.*

(**) *Diod. ib.*, *Polyb. c.* 52.

direxit. Infelix illa navigatio: nam Consul, post quam Pachynum superaverat, subito animadvertit hostium classem, expeditam et nnmero longe superiorem, quae eum exspectabat. Statim reverti volebat; nam sciebat se salvum fore, (*) si ante hostem Syracusas attingere posset, ubi satis praesidii esset in Hierone. Id autem perficere non potuit, et ad littus applicans, postea naves ejus tempestate sunt confractae. Qua duplici clade denuo Romani refugium habebant in liberalitate et diligentia Hieronis.

Jam annus erat belli decimus septimus, et ad finem currebant anni quindecim, in qnos pax Romanos inter et Hieronem constitnta erat: quo tempore honorificentissimos liberalitatis, et civilis prudentiae fructus tulit. Nam non modo societas, tempore non finito, perpetua reddebatur, sed quidquid tributi nomine quotannis persolverat, Romani concessere. (†) Fine tandem belli hujus longissimi et gravissimi, non negligebatur Hiero in pace componenda; (§) quam Poeni demum impetraverunt hisce, inter alias, legibus, *ne Hieroni bellum inferrent, neque Syracusanos, nec Syracusanorum socios lacesserent.*

(*) *Diod. ib.*, ἐπὶ δὲ Συρακούσας τὸν πλοῦν ἐποιεῖτο, νομίζων Ἱέρωνα παρέξεσθαι τὴν ἀσφάλειαν.
(†) *Zonar. c.* 16: cf. *supra ad* pag. 119.
(§) *Polyb.* 1: 62, *Zonar.* c. 17.

Sequenti anno in Siciliam Roma veniebant, qui insulam, excepta Syracusanorum ditione, constituebant, et in Provinciae formam redigebant: a quo inde tempore res Siculorum quiete, quam numquam ante tamdiu cognoverant, recreari coeptae sunt. Imprimis autem Regnum Hieronis florebat, quod jam in vicesimum annum pace frui videbatur. Bellum enim quod in vicinitate gestum erat, ob rationem, qua Hiero societatis officia praestabat, cives minus presserat; commercio autem Syracusanorum non sine fructu fuerat, quum et tributa sociorum saepe Syracusas conferrentur, et quae deficiebant, ibi compararentur.

Pace autem confirmata, statim Rex commercium cum Carthaginiensibus restituere quaesivit, cum ob emolumenta, quae e mercatura cum illo populo redibant, tum ob aliam causam. Etsi Carthaginienses Siciliam amiserant, et cladibus longinqui belli valde erant depressi, satis tamen virium reliquum habebant, ut a Romanis timerentur: quem metum Hiero videbat optimam esse securitatis suae cautionem, et magnum Romanorum secum amicitae (*) vinculum. Nam ea erat horum potentia, ut prorsus eorum arbitrio ipse et Regnum relictus esset, si proximum illud Romanis retinaculum concidisset. Id autem non longe abesse videbatur eo bello, quod contra do-

(*) *Polyb. c.* 83.

minos suos movebant Poenorum mercenarii milites. Hiero igitur nihil vetusti odii, nec recentis hostilitatis reminiscens, per totum hoc bellum magna alacritate Carthaginiensibus auxiliatus est: et quum, undique ab hoste inclusi, cogerentur, a sociis civitatibus auxilia flagitare, novo ardore, quibus indigebant, suppeditavit. Hoc modo restituit pristinam hujus populi et Syracusanorum mercaturam, quae haud parum augeretur necesse erat, quia Agrigentum deletum erat (*).

Eadem liberalitate et humanitate alios populos ad societatem et amicitiam suam alliciebat. Imprimis autem Romanos: quorum amicitiam si aliquid confirmare posset, iter fuit, quod Romam instituit, ad ludos, qui ibi celebrarentur, spectandos (†). Quo itinere non explebat modo cupiditatem urbem videndi et populum, cujus de virtute et potentia ubique tam magna erat fama, sed iis exhibebat quoque gratum observantiae signum, et ad mutuam benevolentiam augendam aptissimum. Potentiae autem suae divitiarumque opinionem egregie tuebatur, quum ducenta millia modiorum tritici populo donum exhiberet. Sequentibus etiam temporibus saepe accidit, ut Hieronem auxilia rogarent, quae semper praestitit, si-

---

(*) Mercaturae, quam cum hac civitate faciebant Poeni, luculenta descriptio exstat apud *Diod*, XIII: 31.
(†) *Eutrop.* III: 1.

cuti in bello Gallico: quare post bellum illud feliciter peractum, quum sociis civitatibus e spoliis Gallorum praemia Romani donarent, praecipue Hieronem, multis ad eum e praeda missis, honorarunt. (*)

Circa ea quoque tempora cum Pyrrho, Epirotarum Rege, nepote celeberrimi hostis Romanorum, a quo Hiero primum inter milites laudatus et honoratus erat, amicitiam colens, ejus filiam Nereïdem (†) suo Geloni in matrimonium petivit. Nam praeter gratum erga Imperatorem militiaeque doctorem animum, et benevolentiam erga ejus posteros, erat aliquid in his nuptiis, quod securitatem (§) et majestatem suae familiae augere videbatur. Nereis enim neptis erat Alexandri, quem e Lanassa, Agathoclis filia, susceperat Pyrrhus; qui hanc ob causam Siciliae imperium Alexandro destinaverat, si obtinere insulam potuisset: unde duorum celeberrimorum Siciliae Regum memoriam in se jungebat Nereis, Pyrrhi et Agathoclis. Neque spernenda erat affininitas et amicitia cum regia Epiri familia, cum qua nuper etiam Deme-

---

(*) *Diod.* xxv, Ecl. iv: Ἱέρων — εἰς τὸν Κελτικὸν πόλεμον Ῥωμαίοις σῖτον ἀπέστειλε, βοηθῶν Ῥωμαίοις· οὗ καὶ τὴν τιμὴν ἔλαβε μετὰ τὴν τοῦ πολέμου κατάλυσιν cf. *Plut. in Marc. c.* 8, et *Livius* xxiv: 21.

(†) Vid. supra *p.* 42 *seqq.*

(§) Hieronymus, Gelonis filius, his nuptiis argumento utitur, quo Siciliam sibi uni petat universam, apud *Polyb.* vii: 4, et *Liv.* xxiv. 6.

trius Rex Macedoniae, matrimonio se conjunxerat. Praeterea Syracusanorum commodis etiam his nuptiis prospiciebatur, quorum mercaturae maxime intererat, tutos et amicos portus in illa terrarum parte habere, ob praedones, qui semper illa maria infestabant. (*)

Ex eadem navigandi studii causa, magnam cum Ptolemaeo, Aegypti Rege, amicitiam gerebat. Erat enim Alexandria praecipuum quotcumque rerum emporium, quare imprimis operam dedit, ut bene de se et de Syracusanis Aegyptii sentirent. Invenit quoque occasionem regem arctius sibi conciliandi, et magnificentiam ostendendi. Aegyptii enim quum inopia aliquando laborarent, Hiero maximam illam navigii molem, quam Syracosiam appellavit, frumento, aliisque cibariis repletam, una cum aliis frumentariis navibus, ad Ptolemaeum misit (†). Quibus rebus effecit, ut societatem cum Aegypti Regibus ad extremam usque (§) vitam servaverit.

(*) Idem hoc vi et opibus perficere quaesiverat Dionysius pater, quod Hiero juncta societate consequebatur: *Diod.* xv: 13. — De altero Dionysio *idem lib*, xvi c. 5: *κατὰ δὲ τὴν* Ἀπουλίαν *δύο πόλεις ἔκτισε, βουλόμενος ἀσφαλῆ τοῖς πλέουσι τὸν* Ἰόνιον *ποιῆσαι. Οἱ γὰρ τὴν παραθαλαττίαν οἰκοῦντες* Βάρβαροι, *λῃστρίσι πολλαῖς πλέοντες, ἄπλουν τοῖς ἐμπόροις παρεσκεύαζον πᾶσαν τὴν περὶ τὸν* Ἀδρίαν *θάλατταν.*

(†) *Athen. Deipnosoph.* v. *p.* 209. De nave infra.

(§) Hieronymus statim post avi mortem legatum in Aegyptum miserat Zoippum, privignum Hieronis, *Liv.* xxiv: 26. Idem, quum a Romanis deficere statuisset, quos tutos esse cupiebat, Alexandriam ablegavit: *Polyb.* vii: 2.

Etiam Athenienses honoravit, quum civem eorum Archimelum regiis donis afficeret. Hic nimirum navem illam Syracosiam elegantissimo epigrammate decoraverat, pro quo mille tritici modios dono accepit, quos in ipsum Piraeum portum suis sumptibus Rex perferri curavit. (*)

Deinde Rhodii quos magna clade afflixerat terrae iste motus, quo non modo Colossus, sed plurima quoque aedificia, moenia, navalia conciderunt, egregie Hieronis liberalitatem et munificentiam experti sunt. Argenti enim ad centum talenta iis in varios usus misit, ad sacrificia procuranda, ad sumptus qui in gymnasiis fiunt, ad res privatas civium sublevandas, imprimis ad muros restituendos, quo consilio quinquaginta etiam catapultas longas terna cubita misit: tum pelves, aliaque vasa, magno pretio ex argento confectas. Praeterea portorii immunitatem concessit omnibus, qui cum rebus ad victum necessariis, e Syracusarum portubus ad Rhodios navigarent. (†) Quae pretiosa munera egregie ornavit ejus

(*) *Athen. ib.*

(†) *Polyb.* v: 88. *Diod. lib.* xxvi. *Ecl.* vi. Hieronem pecuniam misisse, ut ea muri restituerentur, *Diodorus* refert: ἔδωκεν εἰς οἰκοδομὴν τοῦ τείχους ἀργυρίου ἓξ τάλαντα. Numerus sine dubio corruptus; forte legendum ξέ, *sexaginta quinque.* — *Polybii* contra codices exhibent, eum 75 talenta misisse ad oleum in gymnasio suppeditandum; quod non ita scriptum a Polybio profectum esse putat *Schweighäuserus ad l.* Scripsisse potest *Polybius* eum 65 talenta misisse ad muros aedificandos, et decem talenta ad oleum comparandum; decem,

modestia. Nam utilissimis his rebus missis, tamquam si ipse gratiam accepisset, geminas statuas in foro Rhodiorum poni curavit, quibus exprimebatur populus Rhodius a populo Syracusano coronatus.

Quum igitur omnes fere praecipui, qui in mari Mediterraneo erant, portus, Italiae, Carthaginis, Alexandrinus, Rhodiorum, Piraeus, testes essent magnificentiae divitiarumque Syracusarum Regis, cives ejus ubique navigandi potestatem habebant, et benevolentia ab omnibus excipiebantur. (*) Quidquid autem ingens soli fertilitas proferebat, quolibet transvehebant, iisque cum quaestu permutatis, vicissim quae sibi opus erant, ex omni regione acquirebant. (†) In his demum societatibus munimenta et praesidium habebat Hiero, contra arrogantiam et potentiam Romanorum, si viribus abuti voluissent, effecitque ut se, qui parvi regni dominus erat, potentissimum regem vocitarent. (§)

At vero, etsi inde a bello cum Romanis composito, praecipuam salutis et felicitatis suorum spem constituebat in pace, eaque altissima post

---

ne sacrificia intermitterentur; decem in privatum civium commodum. — Argenteos lebetes, et immunitatem vectigalium memorat etiam *Diodori* Excerptor.

(*) *Polyb.* VII: 8: *εὐεργετικώτατος δὲ καὶ Φιλοδοξότατος γενόμενος εἰς τοὺς Ἕλληνας, μεγάλην μὲν αὑτῷ δόξαν, οὐ μικρὰν δὲ Συρακουσίοις εὔνοιαν παρὰ πᾶσιν ἀπέλιπε.*

(†) Veluti ad naves aedificandas materies, e quacumque terra optima petita, *Athen.* v *p.* 209.

(§) *Eutrop.* III: 1.

bellum Punicum finitum fruebatur, nequaquam tamen belli studium negligebat, nec rei militaris curam omittebat. Quam bene sua et classe et reliquis rebus munita habebat, argumento sit, quod per viginti belli annos, dum in Siculo mari Carthaginienses maximas classes habebant, quibus saepe Romani, ab aedificandis navibus deterriti, nihil opponere poterant, non legimus hostes Syracusas, neque illam Siciliae partem quae Hieronis erat, vel incursionibus, vel classe umquam infestavisse. Immo dum ipsam Italiae oram Hamilcar vexabat et populabatur, Hieronis regnum non modo nihil ab hoste patiebatur, sed erat etiam Syracusanus portus tutissimum Romanis refugium. (*)

Imprimis cura illa spectabatur in operibus, (†) quae una cnm Archimede ad urbem defendendam et in reliquum belli usum composuit. Insigni enim Hieronis rei militaris scientiae quum accederet ingenium Archimedis, talia excogitata et perfecta sunt, quae posterioribus jure admiratio-

(*) Cf. Supra *p.* 125.

(†) Eorum mentio fit in obsidione Agrigenti a *Polybio*, et in obsidione Camarinae a *Diodoro:* porro in muneribus ad Rhodios missis, et in descriptione navis Syracosiae ap. *Athen. p.* 209. Animum iis attendisse Archimedem ut Hieroni satisfaceret, memoriae prodidit *Plut.* in *Marc. c.* 14: unde, et ex iis quae mox de munita urbis conditione diximus, apparet, plurimam tormentorum partem, quibus postea contra Marcellum defensa est, sub Hierone esse inventam et perfectam. Quanta diligentia disposita essent videre licet in *Liv.* XXIV *c.* 34.

nem moverunt. Per haec Syracusae post pacem quinquaginta annorum, non modo statim ad bellum paratae erant, sed fortissimum etiam hostem magnis viribus terra marique irruentem, per duos annos a moenibus propulsarunt, etiamsi propter civium discordiam et perfidiam Imperatorum, vix defendi posse videbantur.

Hoc modo patriae securitati et gloriae externae consuluit; videamus domesticam regni administrationem, et quid in ipsa civitate pro salute suorum fecerit. Qua in re talem se gessit, ut, quae in scholis de perfecto rege fingere et optare solebant Philosophi, ea Hiero in usum et communem vitam transtulisse videatur. Nam quae in opere Politico cum de virtutibus, quibus imperium invitis civibus vel paratum, vel auctum, in regnum sive in voluntarium imperium mutetur, (*) tum quae de bono rege disputat Aristoteles, omnia ea, quantum ejus vita cognita est, ab Hierone factis et operibus expressa sunt. Vidimus ejus moderationem in imperio occupando, eumque statim, quod contra morem Tyrannorum erat, non minus divites nobilesque, (†) quam plebem et pauperes ab injuriis defendisse. Eadem

---

(*) *Arist. Polit.* v. c. 9. n. 10 τῆς τυραννίδος σωτηρία ποιεῖν αὐτὴν βασιλικωτέραν.

(†) *Idem ib.* c. 8. n. 6: βούλεται δὲ ὁ βασιλεὺς εἶναι φύλαξ, ὅπως οἱ μὲν κεκτημένοι οὐσίας μηδὲν ἄδικον πάσχωσιν, ὁ δὲ δῆμος μὴ ὑβρίζηται μηθέν.

moderatione usus est in civitate ordinanda, ita ut nusquam ostentando potentiam, sed modestia potius eam celando, (*) odium et invidiam evitaret, et imperium benevolentia optime muniret. Nulla enim in re mutata videbatur Respublica, nisi quod sine turbis et motu administraretur. Senatus manebat publicum consilium; (†) populus ha-

---

(*) *Idem*, *c. l. init.* disputat, unius imperii optimum munimentum esse, si moderatiore potestate contentus, imperandi cupiditati non adeo indulgeat regnator, ut omnia suo nomine et auctoritate in Rep. geri velit. Idem respexisse videtur Hiero in imperandi forma constituenda, quamquam de pluribus testimonia apud superstites scriptores non inveniantur.

(†) *Liv.* XXIV *c.* 22. Neque concio eo regnante erat insolita res, ut apparet ex eodem libro *c.* 4: quam nisi populo concessisset, hic minime ejus dominationem tam benigne tulisset. Ne Dionysius quidem et Agathocles conciones omiserant; imprimis autem contra Pyrrhum Siculos irritabat, quod jura comitiorum violasset: *Dionys. Hal.* XII, *Ecl. Peiresc. p.* 540. Propterea quoque probabile est Hieronem pecuniarum rationem senatui sive populo reddidisse: (cf. *Arist. Pol.* V: *c.* 9. *n.* 11). Quod statuas posuerit Hiero στεφανούμενον τὸν Δῆμον τῶν Ῥοδίων ὑπὸ τοῦ Δήμου τῶν Συρακουσίων, non a se ipso, (*Polyb* v. 88), *Tittmanno op. l. p.* 567, etiam argumento est, democraticas regnandi formas sub hoc Rege mansisse. — De Senatu dubitari posset num ex sententia Nobilium ab Hierone constitutus esset, vel an potius fuerit βουλὴ et popularis. *K. O. Muller* in *Doribus tom.* II *p.* 163, *Hieron* II, inquit, *liesz den Rath der Stadt bestehn, den Hieronymos niemals befragte; daraus aber, dasz er gleich nach dessem Tode wieder hervortrat, scheint hervor zu gehn, das er kein jährlicher Volksauschusz, sondern eine für längere Zeit gewählte Behörde war.* Addit in annotatione: *Sonst hätte er bei Hieronymos Tode neu gewält oder erloost werden müssen, wovon Liv.* XXIV: 22 *nichts. Die Seniores*, *c.* 24, *sind wohl Mitglieder desselben;*

bebat suas conciones, ad quas saepe rationem expensorum retulit, ita ut non Hiero, sed ipse populus ea facere videretur. Quapropter in donis, quibus Rhodios donavit, non se, sed populum coronantem dedicavit. Summus Syracusanorum magistratus, Amphipolatus, (*) quo qui fungebantur nomen anno dabant, nihil de honore amittebat. Hinc omnium amorem et benevolentiam consecutus, sentiebat civitatem velle se esse Regem

---

dann bestand schon damals eine Γερουσία, *die in den spätern Inschriften bei Castelli, Inschr. Sic.* v, 5 *p.* 44 *vorkommt.* Inscriptio illa hujusmodi est:

Θ. Κ.
ΑΓΚΛΙΩ ΓΕΡΟΝΤΙ
ΕΥΕΡΓΕΤΟΝΤΟΙ
ΛΑΟΣ ΚΑΤΙΦΗΣ.

Quae, ut ipse Muller, nihil ad haec facit; est enim e posterioribus temporibus, quando sub Romanis erant Syracusae, qui in hac Siciliae civitate, non minus quam in reliquis, aristocraticam imperandi formam, constituerint, cf. *Nieb. R. G. tom.* III *p.* 371. Contra ea videtur e narratione Liviana effici posse, Senatum fuisse popularem. Hieronymus enim, qui consulebat interius consilium, *συνέδριον*, *Polyb.* VII: 5, Senatores nulla de re neque convocaverat, neque consulerat. Igitur dignitatem non abdicaverant, sed iidem, qui fuerant Senatores tempore quo mortuus est Hiero, i. e. abhinc menses 13, nunc, turbata Republica, auctoritatem resumunt: non aliam tamen potestatem habebat hic Senatus, nisi quae a populo ei concedebatur. Et dum democratiam restituebant Syracusani, nihil mutatum esse legimus, quam ut novi Imperatores crearentur.

(*) Amphipolatus a Timoleonte creata dignitas, gloriam demum amisit, postquam jus civitatis a Romanis acceperunt Siculi: *Diod.* XVI c. 70. Cf. *Cic. in Verr. lib.* II *c.* 51. De hoc sacerdotio disputat *Ebert in op.* Σικελιῶν *Parte* I *p.* 108.

neque tyrannidis monumenta sibi opus esse. Recte judicaverat: et mercenariis deletis non modo ejus auctoritas non minuebatur, sed publice Rex salutatus est. (*) Neque hoc facto aliquid mutabatur, sed publicum testimonium edebatur, quam gratum ejus imperium esset, et potestati accedebat gloria regni.

Deinde ad leges animum convertit; quas quum emendatione indigere sentiret, hoc etiam sine offensione populi perfecit. Nihil enim magis (†) in honore habebant Siculi, etsi valde severae erant, quam leges Dioclis: quapropter Timoleon eas abrogare non ausus, contentus fuerat honore, ut ex ejus auctoritate iterum exploratae esse dicerentur, licet multa ex sua sententia mutavisset. Eodem modo Hiero de nova legislatione non cogitavit, sed quasi explicatione opus haberet antiqua legum dialectus, et concisa oratio, ad id perficiendum Corintho arcessivit Polydorum: qui aliam laudem e nova illa emendatione non captavit, nisi quod Legum Dioclis Interpres diceretur. Erant autem magno acumine et rerum experientia scriptae, et subtiliter singulis criminibus atque delictis poenas aestimabant. Aptissime igi-

(*) *Polyb.* VII: 8: *δι' αὐτοῦ βασιλεὺς κατέστη τῶν Συρακουσίων, ὃ πάντων ἐστὶ παραδοξότατον.*

(†) *Diod.* XIII: 35. Cf. *de St. Croix Mémoire sur les anciens Gouvernem. de la Sicile p.* 123. — De Timoleonte vid. *Diod.* XVI: 82.

tur congruebant Siculis, qui, ut Cicero ait, (*) acuta erant gens, et controversa natura. Luxuriam, cui Syracusani (†) nimis indulgebant, acerrime comprimere studebant; (§) quas ita observabat Hiero, ejusqne domus, ut, qui princeps in civitate erat dignitate, idem in obediendo legibus primus esse videretur.

Republica hoc modo constituta, et legibus ornata, vectigalibus curam adhibuit. Habebat ea ex aliis rebus, et e portu, (**) quae quam fructuosa fuerint suspicari licet ex innumerabili mercium copia, quae Syracusas advehebantur et exportabantur. Sed praecipue ejus diligentia apparuit in iis ordinandis, quae ex agricultura redibant, sciens quantum ad industriam universe, et ad agrorum colendorum studium conferat, si vectigalia bene administrentur. Ex ipsis leg'bus nihil reliquum

---

(*) *Brut. c.* 12, cf. *Divin. in Q. Caecil. c.* 9.
(†) *Athen. lib.* XII *p.* 527.
(§) Exempla ap. *Athen.* XII *p.* 521: in quibns baec lex de viris: *καὶ ὅτι ἄλλος ἦν νόμος, τὸν ἄνδρα μὴ καλλωπίζεσθαι, μηδ' ἐσθῆτι περιέργῳ χρῆσθαι καὶ διαλλαττούσῃ, ἐὰν μὴ ὁμολογῇ μοιχεύειν ἢ κίναιδος εἶναι.* — De simplici vestitu Hieronis et Gelonis infra.
(**) *Polyb.* V: 88, *Diod.* XXVI *Ecl.* VI. Igitur stricte non accipienda sunt verba *Ciceronis, in Verr.* III: 8, de lege frumentaria Hieronis: *scripta lex ita diligenter est, ut eum scripsisse appareat, qui alia vectigalia non haberet.* Ipse portorii et scripturae meminit, *lib.* II *c.* 70: sed quum dicat, Siciliae civitates sic in amicitiam fidemque a Romanis esse receptas, *ut eodem jure essent, quo fuissent: eadem conditione populo Romano parerent, qua suis ante paruissent*, solum cogitat de legibus frumentariis.

est, nisi quod sciamus quanti tributum aestimatum esset, et quomodo solveretur: (*) sed manet cum de earum utilitate et aequitate, tum de diligentia et subtilitate, qua scriptae erant, certissima fama. Omnium frugum, olei, vini, frumenti, decima pars (†) in aerarium publicum redibat. Hae autem decumae certo tempore locabantur, iisque qui plurimum liciti erant, (§) concedebantur. Hinc lex diligentissime providebat ne Arator Decumanum defraudare, nec Decumanus nimium exigere ab Aratore (**) posset. Primum igitur Aratores, qui agros, quos ipsi possidebant, et alienos ad arationem conductos, colebant, quotannis nomen, et simul numerum jugerum, quae eo anno arabant, publice apud Magistratum profitebantur: (††) ex quo talibus custodiis observaban-

---

(*) Haec cognoscuntur e Ciceronis accusatione in Verrem.

(†) *Cic. in Verr. lib.* III *c.* 6, 7.

(§) *Ib.* III *c.* 63.

(**) Aratores Cicero appellat primum *Agrorum possessores*, de quibus *lib.* II *c.* 61: *is ordo atque id genus hominum, quod optimum atque honestissimum est, a quo uno et summa Respublica, et illa provincia maxime continetur.* Libera Syracusana Rep. is ordo erat Nobilium, qui quantas divitias in agris habere solerent, e vita Gelonis disci potest. Post Timoleontem tamen, qui terras diviserat, minus agrorum fortasse singuli possidebant. Deinde Aratores dicit Cicero, qui praeter suos, aliorum agros ad arandum conducebant: *lib.* III *c.* 2, *Nympho — arator — quum arationes magnas conductas haberet, quod homines etiam locupletes — in Sicilia facere consueverunt.*

(††) *Ib.* III *c.* 51.

tur, ut neque dum crescerent, neque dum colligerentur, neque dum in horreis essent, e frugibus aliquid sine maxima poena eripere possent. (*) Tempus autem decumarum locandarum ita constitutum erat, ut non locarentur ante quam Decumanus de proventuum aestimatione conjicere potuisset; (†) ceteroquin Aratoris nihil referebat, quanti liceretur. Plurimas controversias, quae Aratori et Decumano oriri poterant, lex acute dijudicabat, (§) et licet in commodum Decumani maxime composita esset, tam aeque tamen et diligenter alterius etiam jura describebat, ut plus decuma nullo modo ab invito Aratore auferri posset. Tum Aratoribus igitur, tum Decumanis grata erat haec lex, cujus utilitatem et sapientiam adeo admirati sunt Romani, ut in constituenda provincia Sicilia, quum maximum fructum inde referre, nec minus Siculos conservare et retinere vellent, legem Hieronicam immutatam adsciverint: (**) ita ut Hiero non modo per vitam, sed post mortem etiam per longissimum tempus, Siculis saluti fuerit.

Huic salutis civium cum domi optimis institutis, tum apud exteras nationes benevolentia, confirmandae studio, adjungebat curam haud par-

(*) *Ib.* III *c.* 8.
(†) *Ib.* III *c.* 6 et 63: *neque illud umquam Aratoris interfuit, quanti Decumae venirent — ut frumenta nata sunt, ita veneunt.*
(§) *Ib.* II *c.* 13, III *c.* 8.
(**) *Id. ib. c.* 6.

vam de ipsa urbe templis aliisque rebus exornanda. Id enim unusquisque Graecorum faciebat maximi, patriam publicis monumentis illustrari: quare Tyranni (*) hoc potisisimum studio uti solebant, si cives labore et tributis extenuare et submissiores habere cuperent: nam facilius laborabant et pecunias dabant, si conferri id ad gloriam civitatis videbant. Boni vero Principes (†) honestum illud studium non negligebant, sed quantum sine damno civium fieri posset, tamquam publicae pecuniae procuratores, magnificis operibus communem patriam illustrabant. Hac ratione Hiero magnam operam in templis, gymnasiis aliisque aedificiis exstruendis, posuit. (§) Qua in re eo magis excellere potuit ob diligentiam, qua immensa vectigalia regebantur, e quibus pro parciore vitae ratione, parum in privatum usum conferebat.

Erat Syracusis in ea urbis parte, quae Achradina dicebatur, forum maximum, ab omni fere parte ornatissimis aedificiis egregie decoratum, Prytaneo, Curia, (**) Ara concordiae, (††) Sola-

(*) *Arist. Pol.* v *c.* 9 § 4.

(†) *Id. ib.* § 15 *κατασκευάζειν γὰρ δεῖ καὶ κοσμεῖν τὴν πόλιν ὡς ἐπίτροπον ὄντα, μὴ τύραννον.*

(§) *Moscion ap. Athen.* v *p.* 206: *ὁ δ' Ἱέρων ἐσπουδάκει μὲν καὶ περὶ ἱερῶν καὶ γυμνασίων κατασκευάς.*

(**) *Cic. in Verr. lib.* IV *c.* 53.

(††) *Liv.* XXIV: 22: *populus — in Achradinam ad curiam convenit. ibi pro concordiae ara, quae in eo sita loco erat — Polyaenus concionem — habuit.*

rio, Pentapylis. (*) Ad hoc forum Hiero aedificavit magnificum templum, consecravitque Jovi Olympio: (†) de cujus templi elegantia laus tanta erat, ut illustrissimum illud architecturae monumentum, quod Romae superest, Pantheon dictum, ex hujus praecipue templi spoliis ornatum fuisse, fama apud incolas manserit. (§) Decori huic templo fuerunt arma, quae a Romanis post fugatos Gallos Illyriosque, Hieroni donata, atque in eo suspensa sunt. Prope Theatrum, omnium quae in Sicilia erant pulcherrimum, (**) ubi populus ad concionem convocari solebat, amplissimam aram posuit, quae longitudine centum viginti quinque passus explebat, cui dimensioni altitudo et latitudo respondebant. Inter reliquias antiquae gloriae, quas hodierni Siculi servant, lapis est, qui inscriptionem fert in hanc sententiam, *Rege Hierone auctore Syracusanos aedificium*, (ad quod inscriptio haec pertinuerit),

---

(*) *Plut. in Dione c.* 19, *Athen.* v *p.* 207 *infra*: cf. *Cluver. Sic. Ant. lib.* 1 *c.* XII: 6, et *Göller* in ejus ed. *Thucyd.* ad *Tabulam Topographicam num.* 24.

(†) *Diod.* XVI: 83, *κατὰ τὴν ἀγορὰν* Ὀλύμπιον. Hujus meminit Cic. l. l.: e *Livio l. l. c.* 21 apparet, dona Romanorum e spoliis Gallorum, a Rege in hoc templo fuisse suspensa.

(§) Cf. *Mar. Aretius, de situ insulae Sicil. p.* 9, et *Abbé de St. Non, Voyage Pittor. de Naples et de Sicile vol.* III *c.* XIII.

(**) *Diod. l. l.* de theatro Agyrinensi, *μετὰ τὸ τῶν* Συρακουσίων *κάλλιστον τῶν κατὰ* Σικελίαν. Ejus quaedam vestigia restant, cf. *supra p.* 36, 38. De ara *Diod. ib.* *ὁ πλησίον τοῦ θεάτρου βωμὸς, τὸ μὲν μῆκος ὢν σταδίου cet.*

omnibus Diis posuisse. (*) Sive hic lapis fuerit e magna illa ara, sive ex alio Hieronis pietatis monumento, optime confirmat, quod in pluribus ejus rebus jam vidimus, in hujus generis operibus eamdem ejus fuisse modestiam, ab omni offensione et arrogantia remotam. Quare magis etiam his Reip. ornamentis gaudebant Syracusani, quorum perficiendorum gloriam non ad unum, sed ad omnes cives pertinere, cuique publice apparebat.

Ostentationem non minus evitabat in privata vita, quam ita instituit, ut si ad sapientissimi cujusque philosophi (†) de bono Rege praecepta se conformasset. Facilis erat accessu, comis in colloquio, fastus nullus. (§) Numquam armati eum comitabantur; tamquam privatus in publicum prodibat. In media autem luxuria (**) et abundantia, quum divitiae et regia potestas omnium libidinum ac voluptatum copiam facerent, tam continenter parceque vivebat, ut non modo ad summam usque senectutem processerit, sed et corporis firmitatem et sensuum integritatem ad ex-

---

(*) In *Inscript. nova Coll. Castelli P. T. p.* I. Inscriptio haec est:

ΒΑΣΙΛΕΟΣ ΑΓΕ . . . . .
ΙΕΡΩΝΟΣ ΙΕΡΟΚΛΕΟΣ
ΣΤΡΑΚΟΣΙΟΙ ΘΕΟΙΣ ΠΑΣΙ

(†) *Arist. Pol.* V *c.* 9 *n.* 14.
(§) *Liv.* XXIV: 5.
(**) *Polyb.* VII: 8.

tremam vitam servaverit. Hanc vitae rationem etiam suos sequi curabat, eratque filius Gelo (*) moderatione et continentia Hieroni simillimus: nec mirum, quum ita hic a patre institutus esset, ut nullas divitias, nec regiae dignitatis splendorem tanti faceret, quanti caritatem pietatemque erga parentes. In eadem disciplina educare coeperat nepotem Hieronymum; (†) qui tamen sapientissimi avi cura non diu satis uti potuit.

Caritas et existimatio iis virtutibus parta, augebatur insigni erga Deos pietate et religionis studio. Nam, quod dixit Aristoteles, (§) magni interest cujusque Principis, si regnum firmum esse velit, honeste et citra ineptias colere religionem, cultumque Deorum magni habere. Non enim timere solent homines ne injuriis afficiantur ab eo, qui Deos veneretur et pietatis officia praestet; neque facile insidias structuri sunt tali viro, quum quasi ipsos Deos socios et amicos habeat. Id autem imprimis in Syracusanis valebat, quorum inter virtutes non minima erat pietas, et observantia Deorum.

Reliqua ejus privata quoque studia et Rege erant dignissima, et populo utilitatem et gloriam afferebant, quum in ingenuis atque utilibus

(*) *Liv.* XXIV: 5, *Pol.* VII: 8; cf. *supra p.* 41.
(†) *Liv.* XXIV: 4.
(§) *Polit.* V *c.* IX *n.* 15.

artibus honorandis et provocandis, maxime versarentur. Multos enim eruditione artiumve studio conspicuos viros secum habebat, eosque sublevando et fovendo ad laborem exhortabatur. Quo loco accessimus ad illius rei mentionem, qua totum hominum genus sibi obligavit, quum primus mechanicam artem ex umbra et contemtu, in vitam et honorem protraxerit. (*) Attigerant hanc artem diu ante, Eudoxus et Archytas. (†) Sed illi potissimum ea usi erant ad id, ut rebus corporeis ad sensus externos ea problemata ostenderent, quae sola ratiocinatione demonstrata, difficilius intelligebantur. Plato autem, pulchritudine purae matheseos captus, putans hujus dignitati vim afferri, si ab operariis auxilium petere cogeretur, neque fortasse suspicans, quantum utilitatis hinc perciperetur, novum hoc aegre tulit, et ut indignum philosopho improbavit. E quo mechanica ars, non culta a mathematicis et philosophis, prorsus neglecta, vel bellum gerentibus relicta erat. Hiero autem, cujus ingenium multa eruditione ornatum fuisse vel hinc apparet, et qui non minus hominum utilitati tribuebat, quam formarum pulchritudini, putavit mechanicam,

---

(*) *Plut. Marc. c.* 14: πρότερον φιλοτιμηθέντος Ἱέρωνος τοῦ βασιλέως, καὶ πείσαντος Ἀρχιμήδη τρέψαι τι τῆς τέχνης ἀπὸ τῶν νοητῶν ἐπὶ τὰ σωματικὰ καὶ τὸν λόγον ἀμωσγέπως δι᾽ αἰσθήσεως μίξαντα ταῖς χρείαις, ἐμφανέστερον καταστῆσαι τοῖς πολλοῖς.

(†) *Plut. ibid.*

si geometriae ope excoleretur, magna commoda hominibus esse allaturam.

Archimedem igitur, cognatum et amicum, excitavit, ut ex arte sua quaedam de solis intelligibilibus ad sensualia transferret, atque ea, ratione cum usu conjuncta, ad vulgi etiam captum accommodaret. Hinc Archimedes quae tamquam lusus habuerat geometriae, in lucem edidit, et plus studii his imponens, ad communem utilitatem convertit. Rex problematum quae invenerat, probandorum copiam dabat, et philosophum praesentia sua honorabat, (*) ejusque inventa ipse experiebatur. Duo praecipua, Helicem et Cochlion, (†) incitatione et in gratiam Hieronis esse inventa, a Mathematicis, qui plura de his, memoriae proditum est. Quomodo autem, expolita armorum fabricandornm arte, ad patriae, et interdum ad sociorum securitatem ea transtulerit Hiero, supra memoravimus.

Ejusdem Archimedis artem et ingenium adhibuit in naves exstruendas, quod praccipuum Hieronis stndium erat: (§) ncque labori nec sumptibus parce-

---

(*) *Proclus Commentar. in Euclid.* I: Ἀρχιμήδης τὸν Ἱέρωνα μόνον αὐτὴν καταγαγεῖν ἐποίησεν. Cf. *Plut. l. l.* et *Athen.* v *p.* 206 *fine.*

(†) *Proclus ib. Athen.* v *p.* 207 B, 208 F.

(§) *Athen. ib.:* ἦν δὲ καὶ περὶ ναυπηγίας φιλότιμος, πλοῖα σιτηγὰ κατασκευαζόμενος. — Idem e nummis ejus apparet, quorum plures Neptuni faciem, Tridentemque repraesentant: *Haverk. ad Parut. Sic. Numism. Parte* II *p.* 1018.

bat ad augendam navium celeritatem, vel magnitudinem, vel elegantiam. Hac in re quid ingenium humanum, mathematicis artibus adjutum, perficere posset, experiri voluit. Quum igitur peritissimos artifices in sua armentaria collegisset, inter quos Archiam Corinthium et Phileam (*) mechanicum Tauromenitanum, his omnibus simul mandavit maximam illam de qua memoria est, exstruere navem. Exstat hujus navis ampla descriptio; (†) sed tantae fuisse dimensiones dicuntur, ut fidem iis habendam esse nonnulli negaverint. Non tamen omittendum, Archimedem toti operi praefuisse, neque adeo mirum esse, si a tali homine, ab optimis artificibus fabrisque adjuto, et e thesauris regiis reficiendi quae minus successerant, copiam habente, aliquid perfectum sit, quod vulgarem captum superaverit. Nimis magnam fuisse, quam ut tute per mare navigaret, ex iisdem auctoribus apparet: (§) quare Hiero eam Alexandriam ad Ptolemaeum dono misit, mutato nomine, quum pro Syracosia Alexandrina dicta sit.

Non minus fautor erat artium, quarum minus utilitas, quam ornamentum et elegantia spectantur. In miranda illa navi plurimi erant thalami, (**) quorum pavimentum variis lapidibus ita

(*) *Athen. ib.*
(†) *Athen. l. l.* cf. *Proclus in Euclid.* 1 *p.* 18.
(§) *Athen. p.* 209.
(**) Athen, *p.* 207: cf. *Casaub.* ad eum locum, et *Comment. ad Suet. lib.* 1 *c.* 46, de musivo opere.

erat tessellatum, ut omnium, quae in Iliade narrantur, imaginem elegantissime exhiberent. Reliqua ex ejusmodi rebus temporis injuria perierunt, sed servantur nummi, quorum ex elegantia de deperditis illis conjicere licet. Eum literatos quoque homines bene habuisse, in Archimelo, magnifice ab eo remunerato, vidimus. Initium ejus imperii celebravit Theocritus, qui pulcherrima oda eum ad illam erga viros ingenio spectatos liberalitatem excitare quaesivit, qua deinde egregie excelluit. Otio ejus imperii usi sunt quoque Mosschus, Bion, plures: quod otium sub sceptro Hieronis, tamquam verus vates, Siciliae promiserat idem Theocritus.

Quaecumque igitur bona optare Respublica potest, iis fruebantur Syracusani; atque haec ultima in magna Graecia Graecorum civitas, prosperitate et splendore utebatur, quem ipsa Peloponnesus et Attica jam diu desiderabant. Florebant agricultura, commercium; excolebantur architectura, navium exstructio, reliquae artes; cives benevolentia apud exteros, domi securitate gaudebant. Haec omnia uni debebant Hieroni, qui et ipse suarum virtutum uberrimos fructus assequebatur. Nam per diuturnum regnum nulla umquam seditio otium turbavit, immo si cogitasset de imperio abdicando, omnium precibus, quominus id faceret, impeditus fuisset. (*)

(*) *Polyb.* VII: 8, *ὅς γε πολλάκις ἐπιβαλόμενος ἀποθέσθαι.*

Tanta autem caritate et amore eum cives prosequebantur, ut velut patrem familiae Regem suum amarent et venerarentur.

Nec tamen tanta gloria felicitasque immota mansit, sensit autem Hiero etiam inconstantiam rerum humanarum. Jam inde a bello Punico finito annus erat vicesimus tertius; Rex agebat aetatis annum undenonagesimum, habebat filium, ipsum jam quinquagenarium, sed patris amantissimum et observantissimum. De stirpe securus esse videbatur propter nepotem Hieronymum, quem summa cura educabat: filiae in matrimoniis erant collocatae. Hanc serenitatem primum obduxit nuntius de Hannibale, qui capto Sagunto, et itinere in Italiam instituto, aperte indicabat atrocissimum bellum reparatum esse. Neque dubitari poterat, quin statim etiam Siciliam infestare ac sollicitare Afri conarentur; unde alter Consulum Sempronius, (*) a Senatu Siciliam defendere jussus, magno studio exercitum contrahebat, et eo proficisci parabat. Sed antequam in provinciam pervenerat, jam res ibi geri coeptae sunt. (†)

τὴν δυναστείαν, ἐκωλύθη κατὰ κοινὸν ὑπὸ τῶν πολιτῶν. Reliqui de hoc abdicandi consilio tacent, et omnia fere quae de Hierone novimus, iis repugnare videntur. Fortasse *Polybius* de ultima ejus vitae parte cogitavit, de qua infra, *p.* 153.

(*) *Liv.* XXI: 17.

(†) *Liv. ib. c.* 49 *seqq.*

Hiero qui hostium consilia optime divinabat, ex instanti periculo novas vires recipere videbatur, et nulli labori parcens, non ut senex nonagenarius, sed juvenis agebat. Videns autem opus esse celeritate, et communi consilio rem esse gerendam, Messanam tendebat, ut simul ac Consul advenisset, conveniendi potestatem haberet. Classis ejus eodem navigabat. Carthaginiensium vero in eo mari jam erant viginti quinqueremes, cursum in Italiam, ad oras populandas, dirigentes, sed tempestate ad Liparas insulas dejectae. Ex his aestus in fretum aberrare fecit naves tres, quae conspectae a Messana, navibus ab Hierone missis, captae, et in Messinensem portum deductae sunt. E captivis Hiero rescivit, hostium consilium esse tentare Siciliam; propterea aliam classem Lilybaeum petiisse, ut, hac urbe capta, reliquos Siculos pristinae societatis memoria sollicitarent. Quibus auditis Hiero extemplo literas ad M. Aemilium, Siciliae Praetorem, misit, ut eum de hostium adventu moneret. Romani igitur eos parati excepere, ita ut e triginta quinque, quibus opprimere Lilybaeum Poeni speraverant, quinqueremibus, septem captae, reliquae in fugam versae sint. Antequam nuntius hujus ad Lilybaeum victoriae Messanam perlatus erat, Consul fretum intravit; cui Hiero, cupidus quam primum animi sententiam aperire, cum classe ornata obviam navigavit, et transgressus in navem Consulis, multa benevola et ad praesens

bellum utilia, cum eo collocutus est: sibi constitutum esse amicitiam cum Romanis servare; de frumento, vestimentis, ne cura afficeretur Consul, se enim necessaria et legionibus et sociis navalibus gratis suppediturum; proximum periculum intendi in Lilybaeum. Nihil igitur morati, statim Consul et Rex cum classibus eo profecti sunt: unde, quum de secunda pugna cognitum esset, et ex illo mari hostis secessisset, Hiero cum navibus Syracusas rediit.

Non diuturna hujus prosperitatis laetitia fuit. Brevi enim post una cum nuntio de clade Scipionis Consulis ad Ticinum, literae a Senatu veniebant ad Sempronium, ut in Italiam rediret, et opem collegae contra Hannibalem ferret. Non meliore fortuna hic usus ad Trebiam amnem; et Romani, iteratis cladibus commoti, magnos fecere apparatus, et Hieronem rogavere, ut auxilia praestaret. Hic igitur providens hoc bellum non minus atrox fore, quam quod antea gestum erat, curam omnium in usum belli comparandorum non dimisit, magnamque necessariorum copiam collegit; quae, ubi de clade ad Thrasimenum lacum audiverat, non diutius retinenda esse putavit. Advenit igitur Ostiam classis, ab Hierone missa, cum inauditis muneribus: advehebat (*) enim trecenta millia modium tritici, ducenta hor-

---

(*) *Liv.* XXII: 37. *Valer. Max. lib.* IV c 8 *Ext.* 1.

rei; simul per legatos Rex pollicebatur, quantum praeterea et quo loco vellent, se subvecturum. Sciens autem Senatui opus esse pecunia, et intelligens plenum periculi fore, si his temporibus a verecundia discederent Romani, qua hucusque aurum accipere non solebant, aurum suum in habitum Victoriae formavit, ut hanc Victoriam ominis saltem causa acciperent ac tenerent. Quo humanissimo invento Romani, in pecuniarum inopia, auri trecenta viginti pondo accepere. His donis accedebant centum Cretenses sagittarii, et mille funditores, quos Balearibus Hannibalis opponerent: consilia denique, pro senis prudentia et rerum usu, utilissima.

Non minus infelix Romanis erat sequens annus, notabilis clade Cannensi. Eodem tempore Punica classsis infestabat regnum Hieronis; (*) sperabant enim hostes T. Otacilium, qui pro Praetore Siciliam provinciam diligenter administrabat, opem laturum esse Hieroni, classemque Lilybaeo ad Syracusanam oram tuendam, deducturum, quo facto aliam classem ad Aegates insulas paratam habebant, quae ex improviso Lilybaeum aggrederetur. Nuntius hac de re quum Romam veniret, in medio tumultu et consternatione erat urbs propter cladem Cannensem, ita ut de auxilis cogitari non posset. Poeni tamen,

(*) *Liv.* XXII: 56.

sive viderent spem praedae ob diligentiam Hieronis ibi parvam esse, sive redire cogerentur nuntio de L. Furio Praetore, (*) qui cum classe ad ipsam Africam aggrediendam profectus erat, non diu in illo mari morati esse videntur, quum brevi post Hieronem ab isto metu liberatum fuisse appareat. Nam qnum Romanorum in Sicilia Praefectus neque pecuniam ad stipendium persolvendum, neque frumentum ad milites alendos haberet, Senatui autem nihil praesto esset, quod mitteretur, T. Otacilius confugit denuo ad Hieronem, qni argenti quanto opus esset, et in sex menses frumentum Lilybaeum misit.

Magna interea calamitas senem afflixit: nam carissimns filius, (†) qni patri consiliorum adjutor erat, et eodem apud populum favore gaudebat, subito mortnus est. Cujus eo gravins erat defiderium, quod non omnes idem cogitabant de societate cnm Romanis servauda, atque Hiero. Pugna enim Cannensis, (§) cujus fama ubique spem in rebus Romanorum sollicitabat, haud parum quoque Siculos et Syracnsanos movebat: qnin et ipsa domus Hieronis non vacua erat studio Carthaginiensium. Andranodorus enim et Zoippus, generi Regis, bene de Poenis sentie-

(*) Vid. *supra p.* 33.
(†) Vid. *supra p.* 40 *seqq.*
(§) *Liv.* XXIII: 30.

bant, (*) et fortasse tunc jam multum moliebantur, ut ad Hannibalis societatem transiret Syracusana civitas. Satis tamen in Rege erat auctoritatis, ad comprimendum illud studium, qui non dubitabat Romanos salvos fore, atque eos qui Pyrrhum vicerant, etiam Hannibalem esse superaturos. Perstabat igitur in sententia, unicam Syracusanorum libertatis spem positam esse in Romanorum amicitia, iisque omnibus auxiliari pergebat. Facile patiebatur ut pecunia, quam superiori anno Otacilio Praetori suppeditaverat, nunc autem ut Hieroni redderetur in Siciliam ad Appium Claudium missa erat, a Senatu repeteretur, postquam metus de Philippo Macedonico ad novos sumptus et apparatus Romanos incitabat. Insuper ducenta millia modium tritici et hordei centum Romanis mittebat. (†)

Ultimum fere ejus liberalitatis erga Socios hoc signum fuit, nam brevi post in morbum est implicitus: immo jam fama erat eum mortuum esse, (§) quare Romani quinquaginta navibus Syracusas tendebant, metu ne Syracusani, quorum voluntatem sibi iniquam esse non ignorabant, Hieronymi utentes infirmitate, novas res molirentur. Pachynum vero progressi, quum audivis-

(*) *Liv.* xxiv: 5.
(†) *Liv.* xxiii: 38.
(§) *Polyb* vii c. 3.

sent famam de morte Hieronis falsam esse, Lilybaeum rediere. Interea in summa sollicitudine (*) erat Rex. Notam enim habebat mentem generorum, Andranodori et Zoippi, quibus tutela nepotis Hieronymi, vix quintumdecimum annum agentis, erat committenda: nec eum fortasse latebat pueri ingenium, quod facile a moderatione et civilitate deflecti poterat, et ad superbiam temeritatemque propensius erat. Cogitavit igitur de libertate Syracusanis restituenda, sed filiae imprimis obstitere, quae, quum summum imperium per tutelam ad suos maritos perventurum esse viderent, flagitando et blandiendo patrem ab hoc consilio deterruerunt. Neque tamen caritatem suorum saluti civium praeposuisset, sed intelligebat parum spei fore in populo ad id, quod ante omnia volebat, ut societas cum Romanis servaretur. Nam omnes qui amici erant populi potentine, ad Carthaginienses inclinabant, etsi optimates hic illic fidem servare cuperent. (†)

Alio igitur ratione malis, quae praevidebat, succurrendum putavit, et regnum Hieronymo testamento legans, praeter Andranodorum et Zoippum, tredecim alios ex optimis quibusque electos, puero tutores apposuit. (§) Hos omnes mo-

(*) *Liv.* xxiv: 4.

(†) *Liv.* xxiv: 2: *Unus velut morbus invaserat omnes Italiae civitates, ut plebes ab Optimatibus dissentirent: Senatus Romanis faveret, plebs ad Poenos rem traheret.*

(§) *Liv.* xxiv: 4.

riens precibus et mandatis obtestatus est, primum ut juvenem in ea disciplina instituere pergerent, qua ipse habere eum incepisset; deinde, ne alia vestigia, quam quae ipse presserat, in administranda Republica persequerentur, servarentque societatem cum populo Romano. Quibus peractis, putans se omnia fecisse, quae in praesentia pro salute patriae fieri poterant, morbo (*) exstinctus est anno aetatis nonagesimo secundo, imperii sexagesimo.

Acerbissima tristitia hujus mors totam Rempublicam affecit, quum quasi communem patrem cives amisissent. In medio autem luctu concione convocata, et testamento recitato, populus moestus carissimi defuncti voluntatem aequo animo accepit, licet non pauci eumdem timorem atque Hiero de incolumitate regni haberent. Mox cura ad funus confertur, quod si secundum mores defuncti non illustre fuit luxu et pompae splendore, fuit certe amore civium, qui magna frequentia sequebantur. (†)

Variis honoratus est monumentis: imprimis nomen ejus in innumeris exstat nummis, quorum

---

(*) *Lucian. de Longaeo.*, ἐτελεύτα νοσῶν. De *Pausaniae* errore *supra p.* 14: *Polyb.* VII c. 8 διεφύλαξε τὴν ἄρχην ἀνεπιβούλευτον.

(†) *Liv.* XXIV: 4: addit funus regium minus fuisse celebre *cura suorum*, quod quodammodo refutatur iis, quae scripsit *Pausanias* in *Eliac.* II *c.* 12 de statuis ei a liberis positis, quocum loco conferatur *ejusdem libri cap.* 15 § 3.

plurimi post mortem signati snnt. In celeberrimo quoque Graecorum Olympiae conventu, Hieroni tres statuae erant positae, quarnm nnam ejus liberi, reliqnas duas pnblice constituerant ipsi Syracusani. Neque dignior aspectu in eo loco aliqnis inveniri poterat, qnam ille, qui beneficiis et liberalitate omnes Graecos sibi devinxerat. Sed praeter monumenta, testatior erat e fructu et utilitate memoria, quae apud cives, omnesque Siculos longissime mansit. Exterorum enim benevolentia erga cives liberalissimi Principis diu etiam post mortem perduravit, atque illius amicitiae mentio saepe Romanos faciliores reddidit erga Syracusanos, postquam eos subegerant. Servabatnr denique institutis et legibns, quibus nti snb Romanis pergebant; praecipue legibus utilissimis de agricultura, quae immutatae mansere, et ab auctoris nomine Leges Hieronicae dictae sunt.

Erat homo eximio ingenio, optimaque virtntum indole praeditus: quas natnrae dotes ut pater institutione, ita et ipse diligentissimo pristinorum temporum studio egregie excoluerat. Hinc magnam comparaverat prudentiam rerumque usum, qnibus praecedentium in Syracusana Republica principnm virorum vitia atque errores evitavit, et difficillimum atque levissimum populum, uno amoris et persuasionis vinculo continuit, quum qnisque sentiret, res melins administrari non posse. Erat autem ingeninm ejus optime ad Siculorum natnrnm accommodatnm, non minus eo-

dem artium liberalium, Deorumque cultus studio, quam comitate et humanitate, severitatisque absentia: quo factum est ut, quum inter luxuriosos homines, ipse continenter graviterque viveret, invidiam, quam virtus nimis austera movere solet, effugerit. Habebat quoque notam Siculorum solertiam et calliditatem, quae in obtinendo imperio, et in evitando odio, quo unius imperium erat, apparuerunt, nec minus in perfidia, qua milites mercenarios ad internecionem caedi passus est. In his autem ad Graecorum mores, et sapientiae praecepta judicandus est, in reliquis, etiam si secundum meliores mores judicium fiat, nemini non probatus, et omni laude dignus videbitur.

Incitabatur maxime gloriae studio, (*) sed verae illius et justae gloriae, quae optimum quemque ad labores et recte facta hortatur, stimulisque concitat, (†) et quae unica merces praemiumque erat iis, qui virtutem colebant. Hinc omnia, quae regno suo honori esse poterant, eliciebat, et perficiebat, laudabile studium et vere Graecum: sed quae inanis gloriae et ostentationis sunt, oderat et fugiebat. Sic potentiam obtegebat vestitus parsimonia et comitate, magnificentiam modestis monumentorum inscriptioni-

---

(*) *Polyb.* I: 16, VII: 8.
(†) *Cic. pro Archia P. c.* 11.

bus, liberalitatem humanitate qua dabat. Navem illam inusitatae magnitudinis, quae ad nomen illius celebrandum imprimis erat accommodata, postquam dono Ptolemaeo dare statuerat, pro Syracosia vocavit Alexandrinam: aurum suum ut Romani acciperent, speciem ex illo finxit Victoriae: Rhodi, postquam eam civitatem maximis beneficiis affecerat, statuas ponebat, quasi ipse gratias ei agere debuisset. Quibus fiebat ut beneficia ejus non magis utilitate, quam ratione qua darentur, grata et accepta essent.

Nec umquam ob hoc gloriae studium aliquid fecit, quod civitati nocere potuisset: nam erat aliquid, quo magis etiam incitabatur, patriae et civium amor. Quod igitur omnibus Imperatoribus difficillimum esse solet, gloriae cupiditati frena imponere, neque omnia per arma experiri velle, ille, statim ac vidit pacem civibus utiliorem esse, invictus bellum composuit, idque flore aetatis, dum militari laude, cui regnum etiam debebat, maxime excellebat. Et quum intellexisset Romanorum amicitiam fore optimum suorum libertatis et salutis praesidium, eam quocumque modo coluit, et Sociis quam plurimum posset, profuit. Qua in re comparari potest cum Masinissa et Attalo. Nam iis quoque utilis fuit amicitia Romanorum, qua muniti diutissime regnarunt, vicissimque maxima auxilia Romanis praestiterunt. Qua in comparatione tamen non

omittendum est, bellum Siculum primum fuisse, quod a Romanis extra Italiam gestum est. Cives nondum ad peregrina bella erant accincti, usum horreorum habebant nullum, hostes opibus longe erant superiores. Sicilia multa habebat oppida, et situ et operibus munitissima: Romani autem, qui Rhegium, haud ita magnum oppidum, expugnare vix potuerant, in arte urbium obsidendarum nondum multum profecerant. Ad haec Hiero suppeditabat frumenta, pecunias, naves, portus, imprimis machinas bellicas, ita ut in tribus praecipuis obsidionibus, Agrigenti, Camarinae, Lilybaei, nominatim ejus auxilia memorata legamus. Deinde potentiores erant Masinissa et Attalus Reges, qui amicitia Romanorum et obedientia Senatui eo usi sunt, ut regni terminos extenderent, et Sociis opitulando ipsi se ditarent. Sed Hiero ab omni parte a Romanis, quibus reliqua Sicilia obediebat, cinctus, tamquam in eorum potestate erat; et tamen, si non regni magnitudinem, salutem civium certe amplificare scivit. Quam floruerit autem Syracusarum civitas intelligitur, si cogitemus quot et quantis aedificiis urbs ab eo ornata esset, quantum pecuniarum in navium exstructione impenderetur, qua largitione socios donaret, quum tamen singuli cives adeo opibus florerent, ut magnae privati cujusdam in alia civitate divitiae, decimae bonorum Syracusani civis parti, proverbio postponerentur. Si vero quis dubitet, an laudandum sit

Hieronis consilium, quo Romanorum colere amicitiam reliquis praeposuit, satis sit in memoriam revocare, urbem tam divitem, tam munitam, tam egregie defensam, tertio post mortem Hieronis anno, ab hoste captam et direptam, inque provinciae formam redactam fuisse.

Quodsi non amplius ea sint tempora, ut viri cujusdam magnitudinem unice fama rerum in bello gestarum, metiamur, quis non magnum appellaret virum, qui fortitudine et aequitate salutem suis vindicavit, prudentia eamdem servavit et confirmavit; qui liberalitate et humanitate, socios et amicos, artium excitandarum studio totum hominum genus sibi obligavit. Dum vero reliqui omnes cedere Romanis cogebantur, ipse imperium liberum servavit, et patriam, quamvis in media provincia potentissimi populi sitam, tum bellico apparatu et munitionibus, sapientissimis consiliis, non modo a belli metu tutam, sed gloria etiam et divitiis florentem praestitit.

Praeclarum igitur Hiero etiam exemplum est, nullam cuicumque populo praestabilius bonum Dei munere impertiri, quam regem, qui, quum prudentia non magis quam amore in patriam excellat, et illam unice gloriam expetendam esse putet, quae e populi felicitate et aequa rerum administratione comparetur, ea est moderatione, ut ratum nihil esse velit, nisi quod civibus probatum esse apparuerit, ita ut omnium omnia consensu gerantur ad salutem publicam firman-

dam et amplificandam: imprimis autem ejus muneris praestantiam elucere, si in difficilibus temporibus tali rege uti civitati contingat. Qui si e periculis patriam salvam expedire sciat, ipse existimationem consequitur exterorum, et caritatem civium, et gloriam in omnem vitam.

THESES.

I.

Verba Hermiones in *Eur. Androm. vs.* 842-847, versu transposito, hoc modo legenda videntur:

Ἢ δούλα δούλας γούνασι προσπέσω; —
Κυανόπτερος ὄρνις εἴθ' εἴην,
ἢ πευκᾶεν σκάφος, ἃ
διὰ κυανέας ἐπέρασεν ἀκτὰς
Φθιάδος ἐκ γᾶς
πρωτόπλοος πλάτα.

II.

Verba in *Platonis Hipp. Maj. p.* 298 c, III. Τίνα τοῦτον; ΣΩ. Σωκράτη τὸν Σωφρονίσκου· ὃς ἐμοὶ οὐδὲν ἂν μᾶλλον ταῦτα ἐπιτρέποι ἀνερεύνητα ὄντα ῥᾳδίως λέγειν, ἢ ὡς εἰδότα ἃ μὴ οἶδα, non videntur spuria habenda.

III.

Non assentiendum est *J. B. Sayo*, in *Disputatione de Oeconomia Politica* contendenti, studium Literarum humaniorum, quale his temporibus viget, ceteris artibus atque disciplinis detrimento esse.

IV.

Quum ea praecipue Graecarum et Latinarum Literarum sit vis et efficacitas, ut mores emolliant, ingenium acuant, pulchri sensum excitent

et excolant, a nulla melius quam ab hac disciplina, studiorum exordium duci potest.

V.

Pelasgi, qui antiquitus Graeciam tenuisse traduntur, non stirpe, sed imperio atque eruditione diversi ab Hellenibus fuisse videntur.

VI.

Solon vere dicitur democratiam, quae prius non fuerat, Athenis instituisse.

VII.

Frustra F. W. Tittmannus, in opere *de singulis Graeciae civitatibus*, probare conatur, in constituendis illarum civitatium administrandarum formis non agnosci diversum Jonum et Dorum ingenium.

VIII.

Ipsi Phoenices in Sicilia colonias condidere.

IX.

Sed diminuta Phoenicum in illas terrarum partes navigatione, et crescente Carthaginiensium potentia, in horum tutelam vel dominationem coloniae illae transiere.

X.

Multa quae in Agathoclis historia narrantur, tribuenda sunt communi Graecorum in Tyrannos odio.

XI.

Non assentior Niebührio, (*Hist. Rom. vol.* II *p.* 199), Dionysii Halic. reprehendenti diligen-

tiam in iis, quae narrat de Gelone *Lib.* VII: 1 *p.* 417.

XII.

Quod Romani Mamertinis in Sicilia auxilium ferre decreverint, probat Romae jam invaluisse Plebis auctoritatem.

XIII.

Augustus et Tiberius nomen Domini callide magis, quam ex animi sententia recusarunt.

XIV.

Conditio qua foeminae sunt apud singulos populos, viam magis ac rationem, quam gradum humanitatis indicat.

XV.

Illa est vis et efficacitas historiae, ut in exponendis virorum et populorum vitiis nullum sit periculum, quum poenas semper et damna addendo, ab iis posteros quam maxime deterreat.

XVI.

Nulla igitur causa est, quare minus historiam patriae tractemus, deque vitiis et erroribus Majorum nostrorum disputemus.

XVII.

In illorum tamen partium studiis et dissensionibus dijudicandis, agamus tamquam de temporibus et rebus plane peractis, et quae nobiscum nihil habeant commune, praeter exempli utilitatem.

XVIII.

Qui e carminibus poëtarum Latinorum, saepe lascivioribus, vitam et mores auctornm judicant, iniqui videntur.

XIX.

Sequitur e poëseos indole, ut ejus vis et efficacitas progressibns intellectus minuatur.

XX.

Nec tamen illa propterea hodiernis temporibus plane negligenda, et soluta scribendi ratio unice colenda est.

XXI.

Puerorum instituendorum ratio universae civitatis res est, neque adeo singulis civibus, ut privata opinio et cultnrae gradus eos ferunt, permittenda.

XXII.

Puerorum institutio, quae hodie fere viget, nimis ratiocinando primam juventntis virtutem, reverentiam et fiduciam in auctoritate majorum natu ponendam, pessum dat.

XXIII.

Errant Aesthetici qui *formae* pulchritudinem, unicam argumentantur esse pulchritudinem.

XXIV.

Cicero etiamsi nihil de philosophia meritus esset, nisi quod Graecorum de philosophia scripta sua ratione Latine reddiderit, vel sic tamen philosophi nomine haud indignus est.